Angeli Dñi, Dñm benedicite in æternũ.

Añ. Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes: Principatus, & Poteſtates: Virtutes cœlorum: laudate Dominũ de cęlis, allel. Cap. Significauit. Hymnus.

C Hriſte ſanctorum decus Angelorum: Auctor humani generis, & rector: Nobis æternũ tribue benignus: Scandere cœlum.

A ngelum pacis Michael ad iſtá: Cęlitus mitti rogitamus aulá: Nobis vt crebro veniente creſcant: Proſpera cuncta.

A ngelus fortis Gabriel vt hoſtem: Pellat antiquum volitet ab alto: Sæpius têplum veniens in iſtud: Viſere noſtrum.

A ngelum nobis medicum ſalutis: Mitte de cęlis Raphael vt oẽs: Sanet ęgrotos, pariterque noſtros: Dirigat actus.

H inc Dei noſtri genitrix Maria: Totus & nobis chorus Angelorum: Semper aſſiſtat ſimul & beata, Concio tota.

P ræſtet hoc nobis. &c. ℣. Adorate Deũ.

℟. Omnes Angeli eius. Ad Bñs, aña. Factum eſt ſilentiũ in cęlo, dum draco cõ-

rábo ad templũ ſanctum tuũ: & confitebor nomini tuo. Alle. Gloria. In conſpectu. ℣. Adorate Deũ. Ad Veſ. ſup p̃s. añ. Dum præliaretur. p̃s. Dixit Dñs. Confitebor. Beatus vir. Laudate Pueri. Confitebor tibi Dñe ĩ toto corde meo, qm̃ au. Cap. Hym. vt ĩ primis Veſ. Ad Mag. añ. Archangeli Michaelis interuentione ſuffulti, te Dñe deprecamur: vt quos honore proſequimur, contingamus & mẽte, alle. Infra octa. ad Bened. añ. Factum eſt ſilentium. Ad Mag. añ. Archangeli.

IN FESTO S. HIERONYMI Confeſſoris. Oratio.

Die 30.



Eus, qui nos Beati Hieronymi cõfeſſoris tui, annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus; per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Lectio prima.

HAbet argentum venarum ſuarũ principia, et auro locus eſt, in quo Iob 28.

mitteret bellū: & Michael pugnauit cū eo, & fecit victoriā, allel. Ad iij. Cap. Significauit. ℟. Stetit Angelus iuxta arā tēpli. Allel. alle. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Allel. Glor. Stetit. ℣. Ascendit fumus. Ad sextam, Capitu.

Apo.
FActum est præliū in cęlo, Michael, & Angeli eius præliabantur cū Dracone, et Draco pugnabat, et Angeli eius: & nō valuerūt, neq; locus eorū inuētus est amplius in cęlo. ℟. Ascendit fumus aromatū in conspectu Dñi. Alle. alle. ℣. De manu Angeli. Alle. Gloria. Ascēdit. ℣. In cōspectu Angelorum. Ad ix. Cap.

Apo. 5.
AVdiui vocē Angelorum multorū in circuitu Throni, & Animaliū, & seniorū: *et erat numerus* eorū millia milliū voce magna dicentiū, salus Deo nostro. ℟. In cōspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Alle. alle. ℣. Ado-

conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore, in æs vertitur. Tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse considerat: lapidem quoq; caliginis, et vmbrā mortis. Diuidit torrens a populo peregrinante, eos quos oblitus est pes egentis hominis, & inuios. Terra de qua oriebat᷑ panis, in loco suo igni subuersa est. Locus saphiri lapides eius: & glebæ illius aurum. Semita ignorauit auis: nec intuitus est eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij institorū: nec pertransiuit per eam leæna. Ad silicē extendit manum suā: subuertit a radicibus montes. In petris riuos excidit: & omne preciosum vidit oculus ei⁹. Profunda quoq; fluuiorū scrutatus est: & abscondita produxit in lucem. Lc. ij.

SApientia vero, vbi inenit᷑; & quis est locus intelligentię? Nescit homo

pre-

ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia Beati Hieronymi Presbyteri.

Videte ne contemnatis vnum de his puſillis, qui in me credunt. Dico enim vobis, ꝙ Angeli eorum in cœlo ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Venit filius hominis ſaluare quod perierat. Sicut enim abſcindendos, & eradendos infideles, ac perfidos homines, qui ſcãdalum ſunt corpori Eccleſiæ, Dominus præcepit: ita quoque monet, ne quem ex paruulis, ideſt humilibus hominibus ſecundum ſæculum, qui ſimpliciter, ac fideliter credunt in Dei filio, contemnamus. ℟. In conſpectu gentium nolite timere, vos enim in cordibus veſtris adorate, & timete Dominum: Angelus enim eius vobiſcũ eſt. ℣. Cantate ei cãticum nouum, bene pſal

cum memoria orationis veſtræ in conſpectu Dei. Eſt etiã & circa eos firma Angelorũ cuſtodia: quorum auxilijs, ab inimicorum inſidiis vnuſquiſque liberatur. ℟. Te ſanctum Dñm in excelſis laudãt omnes Angeli, dicentes. Te decet laus, Et honor Domine. ℣. Cherubin quoq;, & Seraphin *ſanctus proclamant: & omnis cę*licus ordo dicentes, Te decet. Gloria. Et honor. ℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus. In Laudibus, antiph.


Dum præliaretur Michael Archangelus cũ Dracone; audita eſt vox dicentium, ſalus Deo noſtro, allelu. Añ. Dum cõmitteret bellum Draco cum Michaele Archangelo: audita eſt vox millia millium dicentiũ, ſalus Deo noſtro. Añ. Archangele Michael conſtitui te principẽ, ſuper omnes animas ſuſcipiẽdas. Añ.

An-

INSTITVTIONES MINORIS DIALECTICAE QVAS SVMMVLAS VOCANT.

Per fratrem Dominicum Bañes ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ Salmanticæ antiquum professorem.

Es dela libreria



Breuis in volatilibus est apis,
Et initium dulcoris habet fructus illius.
Ecclesiastici. cap. 11.

SALMANTICÆ.
Excudebat Andreas Renaut.

M. D. XCIX.

TASSA.

YO Alõſo de Vallejo ſecretario de camara del Rey nueſtro ſeñor, de los que reſiden en ſu conſejo, doy fe que auiendoſe viſto por los ſeñores del, vn libro intitulado Inſtituciones Minoris Dialecticis, que vulgarmente ſe llama Summulas. Compueſto por el Maeſtro fray Domingo Bañes, de la orden de ſeñor ſancto Domingo, que ante ellos ſe preſento, y con ſu licẽcia fue impreſſo, taſſarõ cada pliego del dicho libro a tres marauedis, el qual tiene treynta y ocho pliegos, y al dicho precio monta cada volumen en papel, ciẽto y catorze marauedis, y al dicho reſpecto de tres marauedis cada pliego ſe han de contar los que el dicho libro tuuiere, de mas de los dichos treynta y ocho en principio, y prologo, taſſa y erratas, que haſta agora no ſe han impreſſo, y a eſte precio mandaron ſe venda y no mas, y eſta taſſa ſe ponga al principio del para que ſe ſepa lo que ſe ha de lleuar, y que no ſe venda ni pueda vender de otra manera, y para que dello cõſte de mandamiento de los dichos ſeñores del conſejo, e pedimiento de fray Iuan Velazquez procurador general de la dicha orden, di eſta fe en la villa de Madrid, a ſeys dias del mes de Nouiembre, de mil y quinientos y nouenta y nueue años.

Alonſo de Vallejo.

DECRETVM SALMANticen. Vniuersitatis.

Rector, Claustrumque plenum Salmanticen. Senatus has minoris Dialecticæ institutiones à R. P. Magistro F. Dominico Bañes editas ab artium præceptoribus deinceps in Schola Salmantina legendas, & interpretandas decreuit, ac statuit, sexto decimo die Octobris, anno. 1599.

D. Antonius de Idiaquez
Manrique Rector.

Iussu D. mei Rectorris.

Bartholomeus Sanctius.
Vniuersitati à secretis notarius.

Censura Complutensis Vniuersitatis.

Complutensis Schola iuxta decretũ supremi Senatus Regij tradidit mihi perlegendos libros Summularum, quos edidit eximius Theologus Magister Dominicus Bañes in quibus nihil offendi piæ sanæ que doctrinæ vel leuiter dissonum, sed prima logicæ rudimenta ita accuratè ordinata que digesta & ad breuem facilem perspicuamque methodum redacta, vt opus iudicem liberales disciplinas aggredientibus perutile & authoris sui ingenium & eruditionem vndique redolens. Datis compluti decima die Iunij. 1599.

El doctor Caluo.
Rector.

Doctor Luys [illegible]*na.*
El doctor Iua[illegible] *quez.*
de Velasco.

El Rey.


Orquanto fray Iuan Velazquez, procurador general de la orden de sancto Domingo, nos hizo relacion, q̃ vos el Maestro fray Domingo Bañes de la dicha ordẽ, Cathedratico de prima d̃ Theologia, en la vniuersidad de Salamanca, cõ licencia de vuestro prouincial auiades cõpuesto vn libro, del qual hizo presentaciõ, intitulado Instituciones Minoris Dialecticæ q̃ vulgarmente se llamaua Sũmulas, en q̃ auiades puesto muy grã cuydado y estudio, y como del cõstaua era vtil y necessario a los Theologos, y a toda la republica, atento lo qual nos suplicastes os mandasemos cõceder licencia para le imprimir y priuilegio por veinte años, o como la nuestra merced fuesse lo qual visto por los del nuestro consejo, por quãto en el dicho libro se hizo la diligencia q̃ la pregmatica por nos sobre ello echa dispone, fue acordado q̃ deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, e nos tuuimos lo por bien. Por lo qual vos damos licencia y facultad, para q̃ por tiẽpo y espacio de diez años cumplidos primeros siguientes, q̃ corrã y se quentẽ desde el dia de la fecha desta nuestra cedula en adelante, vos el dicho maestro Domingo Bañes, o la persona que para ello vuestro poder ouiere, y no otra alguna podays imprimir y vender el dicho libro q̃ de suso se haze menciõ, y por la presente damos licẽcia y facultad a qualquier impressor de stos nuestros reynos, q̃ vos nõbraredes, para q̃ durante el dicho tiẽpo le pueda imprimir por el original q̃ en el nuestro cõsejo se vio, q̃ va rubricado y firmado al fin de Alonso de Vallejo nuestro escriuano de camara, vno de los q̃ en el nuestro consejo residen, con q̃ antes q̃ se venda le traygays ante ellos jũtamẽte cõ el dicho original, para q̃ se vea si la dicha impressiõ esta cõforme a el, y traygays fe en publica forma, como por corrector por nos nõbrado, se vio y corrigio la dicha impresion, por el dicho original, y mãdamos al impressor q̃ ansi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro cõ el original al autor, o persona a cuya costa se imprimiere, para effe-

cto


cto de la dicha correction y tassa, hasta q̃ antes y primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro consejo, y estando echo, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio y primer pliego, en el qual inmediatamẽte se põga esta nuestra licencia y priuilegio, y la approbaciõ, tassa y erratas, y no lo podays vender ni vendays vos ni otra persona alguna hasta que este el dicho libro en la forma suso dicha sopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica, y leyes de nuestros reynos que sobre ello disponen, y mandamos que durante el dicho tiempo, persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir ni vender, sopena q̃ el q̃ lo imprimiere, o vendiere aya perdido y pierda qualesquier libros moldes, y aparejos que del tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo cõtrario hiziere, de la qual dicha pena sea la tercia parte para la nuestra camara, y la otra tercia parte, para el juez q̃ lo senenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare. y mandamos a los del nuestro cõsejo, Presideate e Oydores de las nuestras audiencias, alcaldes, alguaciles de la nuestra casa y corte y chancillerias, y otras qualesquier justicias de todas las ciudades villas y lugares de los nuestros reynos y señorios, a cada vno en su jurisdicion, assi a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que guarden y cumplã esta nuestra cedula y merced q̃ ansi os hazemos, y cõtra ella no os vayan ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, sopena de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuesta camara. Fecha en Denia a Diez y siete dias del mes de Agosto de mil y quinientos y nouenta y nueue años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Don Luys de Salazar.

INSIGNIS VNIVERSITATIS SALmanticen. Ducibus, D. D. Antonio de Idiaquez Manrique Rectori, & Archidiacono Ecclesiæ Segouienſis, ac D. D. Ioãni Valdes de Llanos, integerrimo iudici & Apoſtolico conſeruatori, necnon ſapientiſsimorum Patrum conſcriptorum grauiſsimo Senatui, frater Dominicus Bañes, ordinis prædicatorum ſalutem plurimam in Chriſto ſeruatore precatur.



NSTAR diuinæ ſapientiæ quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter, noſtra Salmantina vniuerſitas omniũ humanarum & diuinarum ſcientiarum ſacrum Muſæum fortiter etiã & ſuauiter duobus Choryphæis vna præſidentibus cuncta diſponit, omnia gubernat. In altero quidem Rectore, quaſi in rege apum, omnẽ ſuauitatem inuenies. Nam cum literarũ ſtudiũ ingenuũ amore potius, quàm timore ſuſcipiendum ſit, decuit profecto, vt is qui locis & temporibus docendi ac diſputandi diſtribuendis, nec non ad audientium vota & ſuffragia conferendis Cathedris præficiendus eſſet, illuſtris genere morumque ſuauitate præditus ab ipſa Scholaſticorum communitate per variarum nationum nobiles Conſiliarios eligeretur. Is ſi iuxta põtificias ſanctiones & regalia ſtatuta, Patrumque conſcriptorum Conſilia ſtrenue ſe geſſerit, nihil eſt, quod ſibi timeat, & tota Vniuerſitas ſumma tranquillitate gaudebit, literarumq; ſtudia magnopere incrementum accipient, iuxta illud, Anima quieſcendo fit ſapiens. Verùm (quia vt ſunt res humanæ fieri non poteſt, quin in tanta adoleſcẽtium ac iuuenum multitudine, veluti in apum agminibus ignauum fucus inuenitur, aliqui etiam vitioſi, inquieti, aliorumque tranquillitatem per

¶ 3 tur-

turbantes reperiantur) necesse fuit, vt alter præses summa ac pontificia potestate præpotens iudex assisteret, qui non solum Ecclesiasticis censuris, sed etiam temporalibus pœnis ac corporeis cruciatibus vniuersa hæc incommoda sacræ studiorum quieti nociua profligaret. Fortiter itaque ac suauiter vniuersitatis nostræ negotia geruntur. Porrò si quando Salmantina schola hunc felicem statum obtinuisse creditur, nunc vel maxime optatam tranquillitatem & pacem possidet militās sub talibus inclyti generis gubernatoribus, D. D. Antonio de Idiaquez Manrique suauissimo Rectore, & D. D. Ioanne Valdes de Llanos, qui in iure dicendo iudex constans ac validus est. Cuius rei in maioris momenti negotijs à regia Maiestate sibi commissis abundè satis & palàm periculum fecit. Quocirca bono animo sumus expectantes, amplissime vir, totius Asturicensis Principatus magnæ, & antiquæ nobilitatis gloria, vt te Protectore nostro, & huius Vniuersitatis Apostolico conseruatore, illud Isaiæ vaticinium hac tempestate quadātenus ratione impleatur. Erunt parua in directa & aspera in vias planas. Imitaberis certe illustrissimum auunculum tuum D. D. Ferdinandū Valdes (qui te à paruulo educauit) Hispalensem Archiepiscopum, ac supremi sanctæ inquisitionis officij præsidem, qui animi eximia integritate, mirifica industria, nostra ætate fidei Chatolicæ zelator potentum hæreticorum conuenticula inuenit, & dissipauit, ac vltimo supplicio brachio seculari comburendos igni relaxauit. Huius pijssimi ac magnanimi viri egregia facinora notissima sunt: inter quæ non vltimum locum tenet insigne Scholasticorum Salmanticæ collegium quod mirifice constructum magnis diuitijs dotauit. Iam vero ad te iterum, o mi D. D. Antoni totius nostræ Vasconicæ gentis vnicum decus, sermonem meū conuerto. O quam pulchra est casta generatio cum claritate, vt diuinum eloquium testatur. Castitatis quidem, voce, virtutem omnem, claritatis vero, generis nobilitatem intelligo. Quæ duæ res sic in te sitæ & collocatæ videntur, vt facile nō sit iudicare, vtra alteram sui ordinis meritis vincat. Te sane clarissimū reddunt, in primis Idiaque citarum antiquissima familia, quam hodie plurimi magni nominis viri regijs honoribus exornati amplificant. Nam præter parentem tuum D.

Fran-

Franciſcum de Idiaquez cruce de Calatraua equitem inſignitum,& à ſecretis Conſilijs de ſtatu regiæ Maieſtatis fidelem miniſtrum. Adeſt etiam Dominus Dominus Ioannes de Idiaquez auunculus tuus (de quo ego ſemper benemereri ſtudui) Legionenſis Regni maior commendatarius ; & regiæ Maieſtati ac conſilijs de ſtatu pacis & belli, præſeſque equitatui dominę noſtræ Reginæ. Adeſt & filius eius D. Alfonſus de Idiaquez militiæ ſancti Iacobi inſignijs condecoratus, ac in bello equitum generalis dux. Adſunt & alij plures, quos breuitatis gratia prætereo, quorum ſinguli nobilis familiæ initium eſſe poterant, nedum antiquam illuſtriorem reddere. De Arteagarum & Moxicarum vetuſtiſsimo genere à Regia Nauarræ ſtirpe originem ducēte digne dicere non vacat. Arteaga fuit, qui ante annos quadringētos opidū Toloſanū in Guipuzcoana Prouincia cōdidit. Cuius hodie domus Pater tuus & caput & Patronus exiſtit. Buitronū, Manricorūq; amplíſsima progenies, vt par eſt, laudari in epiſtola nuncupatoria non poteſt. Nam & Hiſpaniæ Reges à Mãricorū proſapia deſcendere, Molineque dominium hæreditaſſe gloriãtur. Verū hæc omnia claritatis ornamēta, quæ in te vno conuenerūt, omni virtutis officio præclariora ab ineunte ętate indies efficere ſtuduiſti, atq; re ipſa effeciſti. Modeſtiã tuã cū grauitate coniunctã, & ingerēdis negotijs prudentiã & induſtriã nō vulgarē Salmãticēſis grauiſsimus Senatus admiratur, & laudat. Tãdē ad vos, ò Patres cōſcripti mihi plurimū obſeruãdi nō immemor beneficij recēs in me collati orationis finē refero: de quorū ſingulari ſapiētia egregiaq; nobilitate, alijſq; virtutū ornamētis animi mei gratia copioſius dicerē: niſi id iã ſępe in publico Theatro pro meis viribus, vtcunq; præſtitiſſem. Nūc autē partes meas eſſe arbitror, pietatē colere ingratiq; animi notã effugere. Quare pio animo ductus vobis libellū dialecticarū inſtitutionū, quē nuper ſenior in publicã vtilitatē cōpoſui, preloq; mãdaui libēter dedico. Hūc vos veſtro calculo & autoritate approbatū artiū præceptoribus in minori ſchola tyronibus interpretãdū tradidiſtis. De qua re ſi plurimas per omnē vitã gratias egero, mihi nūquã ſatisfaciã: quãdo parē referre nō poſſum. Quod autē poſſum ex animo facio, meq; ipſum animi ſumma prōptitudine veſtris obſequijs ſeruū offero. Valete inclyti viri, & vos Patres conſcripti. *Valete.*

SVmma diligentia à nobis curatũ eſt,vt hic libellus per omnia correctus euaderet:id tamen obtinere non potuimus. Nam difficillimum eſt de manu ſcripto originali Typographos transferentes in quibuſdam non errare. Quare hic ante oculos pauca quæ errata ſunt, corrigenda obijcimus.

ERRATA.

Pagina	Linea	Erratum	Emenda
5.	9.	Nihilominus eſſe.	Nihilominus eſſe æquiuoca.
6.	27.	1. Parte quæſt.	quæſtione 13.
9.	5.	Adiacenti.	Adiacentis.
15.	7.	Cum aliquis.	ei qui.
Ibid.	Ibidem.	Nutritus.	Nutritus eſt.
21.	4.	Voce hominis.	(adde)& audita voce, homo.
27.	13.	Verum.	Verbum.
22.	16.	Et de ſubiecto eſt.	Et in ſubiecto eſt.
40.	17.	coniunctiones.	coniunctione.
54.	11.	formãdã mentem.	formandũ in mente.
227.	9.	Nominatiui.	Nominis.
42.	25.	& duplici.	ex duplici.

Con eſtas erratas eſta correcto eſte libro conforme a ſu original. En teſtimonio de lo qual lo firme, En Salamanca oy 10. de Octubre de 1599. años.

El corrector,&c. Manuel Correa de Montenegro.

SI quæ verò alia errata fuerint,præſertim in punctuatione commatum & membrorum,non ea ſunt,quæ legentis intelligentiam perturbent.



OR lapresente yo el Maestro F. Andres de Castso Prouincial electo y vicario general de la prouincia de España de la orden de predicadores doy licencia al padre Maestro F. Domingo Bañes cathedratico de prima de la Vniuersidad de Salamãca para que pueda imprimir vn libro que ha compuesto intitulado, Institutiones minoris Dialecticæ quas sumulas vocant, por quanto auiendo yo cometido juntamente con el diffinitorio de este capitulo que agora se tiene en Sancto Thomas de Auila a dos padres maestros y cathedraticos para q̃ viessen el dicho libro, fuy informado de llos ser muy prouechoso y necessario en estos tiempos, para los que comiençan a oyr artes, por ser el estilo tã claro y breue y contener todo lo necessario para las disputas de otras mayores facultades y assi mando al dicho P. Maestro para maior merito suyo en virtud de obediencia, que hechas las diligencias que se deuen hazer haga imprimir el dicho libro con toda la breuedad que commodamẽte pudiere para que se puedan leer este año al principio de los estudios de setiembre en esta nuestra prouincia como lo tenemos ordenado y mandado que se leã por los lectores que començaren a leer artes el curso q̃ se sigue. En fe de lo qual dimos esta firmada de nuestro nombre y sellada al Padre F. Iuan Velazquez procurador desta prouincia en la corte de su Magestad para que presente el dicho libro en el Consejo supremo y pida facultad para que el dicho Padre Maestro pueda imprimir el dicho libro, dada en nuestro conuento de Sancto Thomas de Auila a nueue de Mayo de mil y quinientos y nouenta y nuebe.

F. Andres de Casso Prouincial.

FRATER DOMINICVS BAÑES ordinis Prædicatorum pio lectori salutem.



IRABERIS fortaſſe pie lector, quæ nam cauſa tam vrgens fuerit, quæ me pluſquam ſeptuagenarium, & grauioribus ſtudijs, ac quotidianis lectionibus tot annos defatigatũ, & qui iam iã meo iure ab inclyta Salmanticensi Academia rude donari poſtulaturus propero; ad Dialecticæ rudimenta tyronibus conſcribenda impulerit. At ſi conſilij mei rationem cauſamque cognoueris, non ſolum mirari deſines, ſed etiam me de Theologorũ ſacra Schola bene mereri ſtudentẽ laudabis. Nõ deſunt qui hac noſtra tẽpeſtate vehemẽter deplorẽt, adeo inopẽ fuiſſe politioris literaturæ (vt ipſi aiũt) ſuperiorem ætatẽ: vt cũ omnes, qui Philoſophiæ ſtudia cõſectabantur, Ariſtotelici haberi vellent; pauciſsimi eſſent qui Ariſtotelẽ præſertim in Dialectica euoluerent. Arbitrabãtur enim Ariſtotelicã doctrinã planius & expeditius in quibuſdã Sũmulis, quas diligẽtiorũ induſtria modernorũ pepererat, quã in ſuo autore cõtineri. Ego vero magis dolẽdũ cenſeo, adeo negligentiã & deſidiã ne dicã ſocordiã, apud recentiores præualuiſſe, vt nõ iã ab Ariſtotelica docendi ſpinoſiori phraſi, ſed etiã à modernorũ perſpicuis in artẽ diſſerendi documentis abhorreant. Quamobrẽ non ſolũ ſacræ Theologiæ ſed Methaphyſicæ, ſed & naturalis Philoſophiæ ſtudiũ temere ac ſine fructu ſuſcipitur. Nã quanta ſit Dialecticæ vtilitas & neceſsitas, ad ſuperiores diſciplinas capeſſendas, tũ antiquorũ Philoſophorũ, tũ etiã Theologorũ monitis accepimus, tũ deniq; ipſa experiẽtia nos docet. Qui enim Philoſophiæ vel diuinæ ſapientiæ cognitionem nõ vulgarẽ ſunt adepti; hi omnes in diſſerẽdi prius arte peritiſsimi fuerunt. Duos tantum excellentiſsimos inter ſacros Doctores in exemplum proferre libet. Diuum Auguſtinũ

& D.Thomā cōmemoro, quorū alter inter sanctos Patres, alter inter Scholasticos Theologos absq; cuiusquā inuidia vel iniuria facile primatū tenet. Hi nāq; sunt oliuæ binæ pietatis ac religionis vnicæ, de quorū doctrinæ exuberanti fructu, lucernæ plurimæ super Ecclesiæ aurea cādelabra ardentes, omnibus qui in domo Christi sunt, sine intermissione lucēt. Nūquid hi proceres tātā diuinæ Sapiētiæ supellectilē sine Dialecticæ peritiā sunt assequuti? Non sane imo in eius minutissimis præceptis perscrutandis & obseruādis, eò maiorē prius operā dederūt, quò animosius in cœlestis disciplinæ ingētes thesauros, quibus locupletes fierēt, ingredi summa cū modestia conabātur. De Dialectica quid D. Augustinus senserit, ex plurimis ab eo scriptis palā est. In primis libro de ordine, disciplinā disciplinarū Dialecticā vocat. Hęc, inquit, docet docere, hæc docet discere, in hac seipsam ratio sibi demōstrat, quæ scit, quid velit, quid valeat. Scit autē scire, vult sola sciētes facere, nec solū vult, sed etiā potest. Dein

Lib.3.c.18. de cōtra Academicos sic ait: Eruditio liberaliū artiū modesta sane atq; succincta & alacriores, & perseuerātiores & cōptiores exhibet amatores amplectēdæ veritati: vt & ardēti⁹ appetāt, & cōstantius insequātur, & in hærēat postremo dul

Cap.31. ciùs. Deniq; de doctrina Christiana lib. 2. ita sentit, Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionū quæ in literis sacris sunt penetrāda & dissoluēda, plurimū valet: tantū ibi cauēda est libido rixādi & puerilis quædā ostētatio decipiēdi aduersariū. Iā vero Angelicus Doctor noster in omnibus suis tractatibus nullibi nō est Dialecticus. Vbiq; se in disputādi disciplina peritissimū ostēdit. Cōmētarios in libros Perihermenias acutissimos edidit. In libros quoq; posteriorū resolutionū nemo cū maiori eruditione interpretationē adiecit. Opuscula præterea quatuor cōposuit. Nimirū de quatuor oppositis: de demōstratione, de Fallacijs, de Propositio

Opuscu.37. 38.39.40. nibus Modalibus. De industria antiquorū Philosophorū & Rhetorū vulgaria in laudem Dialecticæ encomia, ne videar actū agere, prætermitto. Sed pro dolor, hominū nostri tēporis quorūdā, atq; vtinā non plurimorū, quodāmodo effœminata ingenia eò impudētiæ deuenerūt: vt rudimētorū Dialecticæ difficultate perterriti ac deuicti, eā ad Philosophiæ &

ſacræ Theologiæ ſtudiũ parũ vel nihil vtilitatis afferre arbitretur & dicãt. Fuerũt etiã alij paucos ante annos: qui vſque adeò ſophiſticè diſputandi diſciplinã ſunt proſequuti; vt de neceſſarijs pauca: de inutilibus innumeros tractatus ac nimis prolixos, & vt ita dixerim, inintelligibiles, diſcipulis traderẽt. Vidi quoſdã alios qui Dialecticã valde ſuccinctè latiniſsimis & rhetoricis documẽtis vſi breui cõpendio docebãt. Sed hi modicũ vtilitatis ad Philoſophiã adeundã diſcipulis cõferũt. Sunt deniq; alij etiã noſtris tẽporibus, qui oſtẽtationis cauſa, initio Sũmularũ, importunè ſatis, Methaphyſicã exercere affectant. Tẽpus quoque quod in docendo ac differendo circa logicales proprietates & locos argumẽtandi neruoſos & neceſſarios, impẽdi debuiſſet; nõ ſine magno Diſcipulorũ incõmodo in ſuis ad inuẽtionibus dictãdis perdũt. Quo fit, vt nec ſyllogiſmorũ liber, neq; oppoſitionũ tractatus qui maxime neceſſarij ſunt, queant in curriculo cõſueti tẽporis abſolui, tantũ abeſt, vt diſputandi exercitatione eorũ cognitio perficiatur. His de cauſis plures bonæ indolis magnæque ſpei diſcipuli animũ ad ſacrã Theologiã progrediendi depoñũt: & ad Iuris Ciuilis vel Canonici ſtudiũ ſe cõuertunt. Si qui vero ex ingenioſis perſeuerant; curſum liberaliũ artiũ ita pertranſire ſatagũt, vt cùm ad Theologorum gymnaſiũ veniũt, neceſſariũ nobis ſit illos Philophiã & Dialecticã priùs quàm Theologiã tumultuario docere. En tibi pie lector cauſam quæ me impulit & cõpulit antiquo paruulorũ me iterũ includere ludo. Equidẽ ſi pro votis, dignũ fructũ labor noſter tulerit, nõ ſpernendũ obſequiũ Deo Optimo Maximo pro cõmuni bono me obtuliſſe lætabor. Neq; enim, vt parua vilipendenda ſunt, ſine quibus magna conſtare non poſſunt. Vale.

Alter Prologus Autoris Operis argumentum narrans, & dicendorum ordinem diſponens.

CVM Dialectica differendi ſeu diſputandi ſciẽtia iuxta ipſius nominis etymologiam definiatur; neceſſe eſt, ea via progredi in hac noſtra tyronibus accommoda-

ta institutione, qua planiori & breuiori cōpendio ad optatū disputationis finē perueniamus. Est autē finis hic & scopus humanæ rationis discursum dirigere, ne propter legitimæ consequutionis ignorātiam falsa pro veris amplectatur, aut pro falsis vera respuat. Horsum alij aliter docendi discipulos processum diuidunt, ac disponunt. Quidam non infimi nominis, quem apud Aristotelem ordinem inuenerunt, seruāt. In primis enim de Ante prædicamentis & Prædicamentis agūt, deinde libros Perihermenias interpretātur. Deinceps libros duos Priorum & totidem Posteriorum resolutionum explicant, Denique ad libros octo Topicorum & duos Elenchorum euoluendos accedunt. Alij insuper cum Porphyrio statim in vestibulo de quinq; Prædicabilibus tractatū ineunt. Alij quæstiones Procemiales circa Dialecticæ necessitatem & quidditatem anteponunt: an sit necessaria, an sit scientia, an vnica scientia, quod nam sit eius obiectum vel subiectum, an sit ens rationis & secunda intentio vel aliquid reale. Quæ quæstiones digne & cum vtilitate non nisi à iam erudito logico seu potius Methaphysico ventilari ac diffiniri queunt. Sunt denique alij qui inuerso ordine post commentarios in libros Aristotelis præfatos postremo de proprietatibus logicalibus terminorum, nimirum de multiplici suppositione, de Ampliatione, restrictione & Appellatione discipulis notitiam tradunt, Ego vero sæpe mecū ipse cogitans alium ordinem obseruandum esse censeo. Neque enim possum in animum inducere logicales tractatus eo ordine ab Aristotele compositos fuisse, quo in codicibus collocati circunferuntur. Cuius rei illud vnum mihi argumento est, nam dum Aristoteles libro 1. Periher. cap. 4. contradictionis oppositionem diffiniret, dixit, Opponi autem dico quæ eiusdem de eodem & non æquiuoce, & quæcunque alia determinauimus ad Sophistarum molestias euitandas. Constat autem hæc determinasse libro 1. Elenchorum, cap. 4. Prius igitur Elenchorum libros quam Perihermenias ediderat. Nihilo secius tamen libri Perihermenias, anteriorem locum tenent. Aristoteles itaque, vt opinor, difficiliora quæque Dialecticæ præcepta, vt se se occasio offerebat, scripsit, quorum præcipua sunt quæ in libris Priorum &

Poste-

Posteriorum habentur, & quorum se primum autorem fuisse gloriatur in libro 2, Elenchorum cap. vltimo. Reliqua vero minutiora erudiendis discipulis aptanda; Posterioribus eligenda & determinanda reliquit. Porrò quàm rudis & ineptus recens grammaticus ad Porphyrij subtilem de quinque Prædicabilibus tractatum, & ad Aristotelicam Prædicamentorum Methaphysica labyrintho circumseptam machinam accedat: qui negauerit, experientia teste, conuincetur. Quamobrem de simplicibus orationis partibus & earum proprietatibus logicalibus multo commodius initium facturi sumus: horum enim cognitio ad syllogismorum legitimam constructionem omnino necessaria est. Id quod nemo nisi syllogisticæ artis ignorantissimus inficias ibit. Vnde Petrus Hispanus ordinis Prædicatorum insignis Magister, quem modernorũ plurimi sequuti sunt, pro erudiendis nouitijs minores quosdã tractatus, quos Summulas vocauit breuiter composuit. Sed Recentiorum vitio de Summulis ingentes summæ, imo inaccessibilia promontoria emerserunt. Nos vero qui omnia hæc olim frequenti diligẽtia legimus & intelleximus, ac interpretati sumus; rectum ordinem in præsenti minoris Dialecticæ institutione hunc elegimus.

In libros quinque præsens opusculum diuidimus. *Diuisio totius operis.*

Liber primus de oratione & partibus eius inscribitur. Hic in duos tractatus diuiditur. In priore de partibus orationis integralibus & simplicibus agitur. In posteriore de ipsa oratione & partibus eius subiectiuis in communi disseritur.

Liber secundus de proprietatibus logicalibus, quæ accidunt termino in propositione posito titulum accepit.

Hic vnico tractatu de suppositione, de Ampliatione & restrictione, & Appellatione considerationem absoluit.

Liber tertius de modo sciendi siue differendi nuncupatur.

In hoc libro tractatus duos distinximus, in priore quidem de duabus speciebus modi sciendi nimirum de diuisione & diffinitione agimus. In secundo vero de tertia & potissima

specie,

specie, quæ est argumentatio latius differitur: & proprietatum logicalium vtilitas ad argumentandi rationem ostenditur.

Liber quartus de Enuntiationum omnium oppositione & æquipollentia copiosius differendi munus suscepit.

Hic in tres tractatus meritò diuisus est. In primo quidem de Oppositione & æquipollentia simplicium propositionum decernitur. In secundo vero de modalibus propositionibus hoc ipsum diligenter ac dilucidè pertractatur. In tertio denique tractatu de propositionibus, quas exponibiles vocant, qualiter se se habeant ad oppositionem & æquipollentiã non sine fructu, summa cum diligentia elucidauimus.

Liber quintus de syllogismis vnico tractatu perspicue necessaria quæque ad perfectam disputationem edocet.

Quia vero, vt pius & eruditus Titelmanus aduertit, non omnium ingeniorum æqualis est captus, sed alijs plurium rerum ac maiorum, alijs vero pauciorum & minorum ab Autore naturæ ingenij capacitas in dita est, visum est nobis in hoc opere, ea quæ omnibus præcipua & necessaria sunt, ab alijs quæ non ita omnibus sunt cognitu necessaria, separare: vt pro vario captu discipulorum ipsi præceptores ediscenda proponant. Quædam tamen solis præceptoribus aut etiam Philosophis & Theologis adiecta sunt, omnia vero quæ festinus lector præterire poterit, linea in margine deorsum versum demissa designatur. Reliqua dumtaxat quotidianis lectionibus discipulis proponenda sunt, & frequenti exercitatione versanda. Ita fiet, vt duorum mensium spatio ad grauiores & vtiliores Logicæ considerationes auditores idonei valeant accedere.

LIBER PRIMVS, DE ORATIONE ET PARTIBVS EIVS.

Tractatus prior.

Caput primum.

De partibus Orationis integralibus, & ſimplicibus.



VEMADMODVM Ariſtoteles dixit,vbi deſinit Phyſicus, incipit Metaphyſicus: ita in præſenti inſtitutione minoris Dialecticæ mihi cõuenire videtur,vt inde incipiamus vbi Grammaticus deſinit. Vterque namque de Orationis partibus agit: ſed ob differentem finem & ſcopum. Grammaticus enim ea ratione de partibus Orationis præcepta tradit,quatenus earum partium ſignificationem explicans,ad congruam loquutionem iuxta peritorum in latina lingua vſum,diſcipulum promoueat. Dialecticus vero præceptor de eiſdem orationis partibus diuerſa intentione negotium ſuſcipit. Cum enim ipſius Dialecticæ finis & ſcopus ſit humanæ rationis diſcurſum à natura inſitum dirigere,ne in modo inquirendi veritatem humanus

intellectus deuiet, opus habet ipsius Dialecticæ institutor eaſdem orationis partes conſiderare, quatenus præmiſſa Latinæ linguæ congrua loquutione, ad certum modum inquirendi verum vel falſum, diſcipulum diligenter erudiat. Quamobrem illas orationis partes, in quibus adhuc finem non alia difficultas inuenitur, quàm illa quæ ad Grammaticum pertinet, ſuperfluum arbitror à Dialectico præceptore commemorari. Nos igitur qui in hac noſtra inſtitutione ita ſuperflua, & inutilia præcidere paramus: vt neceſſaria, & vtilia ad prædictum inſtitutum non omittamus, non de omnibus Orationis partibus ſimplicibus agemus: ſed de illis dumtaxat, quæ ad modum inueſtigandi verum vel falſum pertinere poſſunt, agemus.

Simplices Orationis dictiones, quas Moderni terminos vocare voluerunt, in duo capita in primis diuidendæ ſunt. Sunt enim quædam, quæ dicuntur cathegoremata: aliæ verò dictiones ſyncathegoremata vocantur. Græca vocabula ſunt, quæ Latini à Græcis vſurpauerunt, deriuanturque à verbo Cathegoreo. Cuius duplex eſt ſignificatio, ſcilicet & prædicare, & ſignificare, & ab vtraque poteſt dici Cathegorematica vel ſyncathegorematica dictio. Cathegorematica quidem illa eſt, quæ ſolitarie prolata & audita ita aliquid ſignificat, vt eius ſignificatio abſque alio adiuncto plane intelligatur: vt ſi dicas, Homo, equus. Poteſt etiam dici Cathegorematica, quia per ſe ipſam dici poteſt, & prædicari de aliquo, vt homo prædicatur de Petro, cum dicimus, Petrus eſt homo. Dictio verò ſyncathegorematica ea eſt, quæ ſeorſum prolata neque aliquid ſignificat, neque eius ſignificatio abſque alterius dictionis côiunctione perfectè intelligitur, neque ipſa ſola prædicati officium exercere poteſt. Sit exêplum, hæc dictio, Omnis, & hæc, velociter, dicuntur ſyncathegoremata, hoc eſt, quia ſunt conſignificatiua vel comprædicatiua. Vbi aduerte non idcirco eas dictiones conſignificatiuas vocari, quia ſeorſum prolatæ non intelligantur ſignificare. Scimus enim hanc vocem, velociter, latinam eſſe, & ad placitum ſignificare: ſed quia talem habet modum ſignificandi, vt de nulla re ſignificatiue dici poſſit, ideo ſyncathegorema eſt. Quid autem ſit ſignificare & eſſe ſignum, capite

vt. Icatuorem.

capite sequenti de Nomine, & Verbo quantùm satis est Dialectico explicatur. Nunc verò exactè de Syncathegorematicis, & eorum significatione dicamus. Non displicet modus loquendi Modernorum, qui aiunt syncathegoremata non aliquid, sed aliqualiter significare. Consonat enim cum modo loquendi Aristotelis libro 2. Periherm. capite 1. vbi ait, omnis, & similia non sunt vniuersalia sed vniuersaliter significant. Nihilominus non omnia syncathegoremata in ratione aliqualiter significandi æqualia sunt. Nam quædam quamuis non significent aliquid vt aliquid, & vt aliquid dici potest: tamen exprimunt quemdam modum realē, qui in actionibus aut passionibus realiter inuenitur. Cuiusmodi sunt fere omnia aduerbia, vt velociter, tarde, intense, quæ repræsentant nobis modum rei: non vt ille modus potest dici res, sed vt adiunctus cum re. Id quòd ita explicatur. Hoc nomen, velocitas cathegorema est, & rem significat, & de illa prædicatur, at verò, velociter eandem velocitatem insinuat, sed non vt res est, sed vt modus rei siue actionis siue passionis. Sunt autē alia syncathegoremata quæ non significant realem modum adiacentem rei, sed dumtaxat modum intelligendi siue accipiendi rem prout est in intellectu. v. g. Omnis, significat quidem, sed non aliquid, cuius conceptum formes in mente: tamen eius significatio intelligi non potest nisi concipias hominem vel equum, vel rem aliam cum certo modo quem exercet intellectus circa talem conceptum hominis vel equi accipiendo illum vniuersaliter pro singulis hominibus. Vt cum dicis: omnis homo currit. Est tandem aliud genus syncathegorematum, quæ habent singularem difficultatem quatenus modificant vnionem prædicati cum subiecto. Talia sunt Possibiliter Impossibiliter, Necessario, Contingenter, de quibus latius dicendū est in libro quarto. Nunc autem sufficiat partium orationis hanc in communi diuisionem fecisse.

Altera diuisio earundem partium Orationis necessario præmittenda est circa vniuocationem & æquiuocationem simplicium dictionum. Sunt enim quædam dictiones vniuocæ & quædam æquiuocæ tam cathegorematicæ, quam syncathegorematicæ. Vniuoca dictio est, quæ vnicum mentis

vniuocatio.

conceptum siue notitiam, vel modum actionis intellectualis exprimit. AEquiuoca vero dictio est, quæ diuersos conceptus vel notitias differentes siue modos intelligendi potest exprimere. Prior diffinitio explicanda est quatenus Dialecticæ tyronibus satis fuerit. Cum enim ea quæ sunt in voce, teste Aristotele, sint signa eorum quæ sunt in mente, necesse est vniuocationem vel æquiuocationem vocum per ordinem ad intellectum considerare. Illa igitur dictio vniuoca dicitur, quæ sicut est vna vox sic etiam vnitatem seruat in conceptu vel notitia cuius signū est, v.g. hæc vox, Sol, vnicam rem mediante vno conceptu repræsentat. Diximus in diffinitione conceptum vel notitiam, vt abstinerem à nimia & curiosa perscrutatione eorū, quæ in mente exercentur. Hoc enim ad libros de anima libro 1. Periher. remittit Aristoteles. Siue igitur idem sit notitia & conceptus, siue distinguantur sicut actio & terminus actionis, certum est vniuocam dictionem eam esse quæ vnicum conceptum & vnicam notitiam exprimit. Adieci etiam vel vnicum modum intelligendi siue modum rei propter syncathegoremata vocalia, in quibus etiam inuenitur sua vniuocatio & æquiuocatio. Sicut dictio, Et æquiuoca coniunctio est. Aliquando enim accipitur collectiuè vt si dicas Petrus & Paulus sunt homines: aliquando diuisim vt Petrus & Paulus est homo. Erit itaque vox æquiuoca, quæ non seruat in mente vnitatem quam in voce præfefert, siue sit dictio cathegorematica siue syncathegorematica, v.g. hæc vox, canis, cathegorematica est & æquiuoca quia cum sit vna vox diuersis conceptibus sua significata repræsentat. Vno enim conceptu significat canem latrabilem, & alio conceptu marinum piscem & alio cæleste sydus. Obseruandum est autem, nullam dictionem esse æquiuocam, quæ non possit dici vniuoca respectu vnius significati aut significationis, v.g. nomen, Petrus, vniuocum est repectu huius hominis singularis qui appellatur Petrus. Sed si consideretur respectu plurium hominum qui nomē illud proprium sortiti sunt, æquiuocum est, quia nihil commune illis repræsentat, neque cōmunem conceptum illorum exprimit. Sed est argumentū contra diffinitionem vniuocæ dictionis. Hæc dictio, homo albus,

albus, quæ complexa est exprimit diuersos conceptus & illis mediantibus diuersas res significat & tamen nõ est æquiuoca: ergo mala est diffinitio. Respondetur per diuersos conceptus non intelligi partiales conceptus, quos vna complexa dictio partialiter exprimit, sed omnino ita diuersos, vt non faciant vnum conceptum complexum. Obseruandum est etiam æquiuocationem non solum contingere in simplici dictione: sed etiam si nulla dictio simplex in oratione inueniatur æquiuoca poterit oratio nihilominus esse. Qualis est illa. Aio te AEacidem Romanos vincere posse. In qua inuenitur notissima Amphibologia apud Latinæ linguæ peritos propter diuersam constructionem accusatiuorum cum verbo infinitiui temporis. Cuius Amphibologiæ vitandæ causa disciplinarum præceptores sæpe vtuntur dictione, Quod; non vt est relatiuum, sed vt est quasi cõiũctio explicatiua eorum quæ dicuntur. Nam si Apollinis illud oraculum fuisset. Aio quod te AEacidem Romani vincere possunt, nulla fuisset amphibologia. Quare & nos qui Grammaticorum ferulas non timemus, vtemur cum opus fuerit illa dictione, Quod, vsitatissima inter Philosophos & Theologos, id tamen rarò necessarium est.

Diuidunt deinde Dialectici dictionẽ æquiuocam in æquiuocam à casu, & æquiuocam à consilio. AEquiuoca quidem à casu est, quando non propter aliquam similitudinem aut proportionem nomen vnius rei ad aliam significandam imponitur. Ita nomina propria forte fortuna solent diuersis hominibus imponi. Multi enim sunt quibus nomen Petri imponitur vel nomen Ioannis à casu & fortuna. Dictio verò æquiuoca à consilio ea dicitur, quæ imponitur ad significandum rem aliquam propter habitudinem, quam habet ad aliam, quam prius significabat. v.g. Nero fuit proprium nomen crudelissimi Imperatoris & inde translatum est nomen ad significandum quemlibet hominem singulariter crudelem. Item, sanum, propriè & principaliter dicitur de animali in quo est ipsa formalis sanitas: sed postea translatum est, vt dicatur medicina sana, quia est effectiua, vel conseruatiua sanitatis, & vrina dicatur sana quæ est signum sanitatis. Sic etiam & prata dicuntur ridere, vel quia flo

rent & virent quibus florere & virere ita se habet sicut ridere ad hominem: vel quia florida rura sunt causa lætitiæ hominibus. Sunt autem variæ proportiones & habitudines, & similitudines in æquiuocis à consilio, quæ etiam analoga dicuntur de quibus per singula nunc differere, esset extra chorum canere & Nouitiorum ingenia opprimere. Nos verò in præsenti tractatu omnem dictionem, quæ vnico mentis conceptu rem aut modum rei vel ipsius intellectus exprimit, vniuocam dicimus. Nam de Analogia entis methaphysica consideratio est. Hoc vnum hic non desinam aduertere, non propterea æquiuocam à consilio dictionem fore appellandam; quia tempore impositionis habita fuerit aliqua ratio similitudinis vel habitudinis rei ad aliam rem quam prius significabat; sed requiritur quod ipsa habitudo significetur per nomen. Exemplum est egregium. Imposuit Christus Dominus Simoni nomen, Cephas; quod interpretatur, Petrus, habita ratione cuiusdam similitudinis ad petram quæ firmum fundamentum est ædificantibus: & quia Petrus eligebatur vt super eius confessione ædificaretur ecclesia, id circo placuit Domino nomen nouum illi imponere vt vocaretur Petrus. Nihilominus nomen illud absolutum est significans non illam similitudinem, sed singularem hominem sicut alia nomina propria singulos homines significant. Doctrina hæc est expressa D. Thomæ in 1. part. quæst. vbi docet, aliud esse à quo nomen imponitur, idest cuius occasione imponitur, & aliud esse id ad quod significandum imponitur. Sicut vulgo dicunt à lædendo pede lapidem esse dictum: & tamen nomen, lapis, substantiam quandam designat, sicut & homo dicitur ab humo vnde creatus est, sed est impositum ad humanam naturam significandam in supposito. At verò sanum, vnde medicina dicitur sana, importat in sua significatione illam habitudinem ad sanitatem quæ est in animali. Solent Dialectici regulas duas tradere de analogis siue æquiuocis à consilio. Prior est, Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato. Hoc est, Analogum quod non restringitur à membro minus principali neque est subiectum respectu

illius,

illius,accipitur pro eo quod principaliter significat, verbi gratia. Si dicas, homo currit accipitur pro homine viuo: at si dicas, Homo pictus non respirat vel homo est pictus, tunc non stat pro famosiori significato. Vnde secundam regulam statuunt: Talia sunt subiecta qualia permittuntur ab eorum prædicatis, idest Analogum quod subijcitur respectu membri minus principalis alienatur à prædicato, vt accipiatur pro significato minus principali. Sed hæc omnia nullam certiorem regulam habent quam communem modum loquendi, qui non astringitur Dialecticorum placitis. Dicimus enim. Petrus est Nero vbi prædicatum analogum est per se sumptum & tamen stat pro minus principali significato.

Denique ex dictis plane colligitur nullam in mente dari æquiuocationem. Cuius ratio est, quia conceptus mentis & actiones intellectuales ex natura sua determinantur ad vnum. Quam obrem si conceptus hominum adinuicem paterent, nulla distinctione opus esset. Nunc autem tota ratio æquiuocationis consistit in vocibus & scripturis, quæ ad placitum hominum repræsentant.

Tertia diuisio dictionis siue termini (non enim abhorremus à communi scholæ loquendi modo) est, in terminum absolutum & connotatiuum. Quæ diuisio est termini cathegorematici. Terminus absolutus est terminus significans aliquid per modum per se stantis, vt Homo, Albedo. Terminus cõnotatiuus definitur à Modernis quod sit terminus significans accidens per modum alteri adiacentis, vel non adiacentis & ponunt exemplum vt, Album, &, cæcum.

absolutus.

In explicatione huius diuisionis plurima inutiliter inculcant moderni, nobis autem satis esse videtur, si aduertamus, primò in priore illa diffinitione termini absoluti necessarium esse, vt explicemus, quid sit significare aliquid per modum per se stantis. Hoc enim etiam exponitur negatiue, idest, significat aliquid non per modum alteri adiacentis, siue illud quod significatur vere sit substantia siue sit accidens vt patet in exemplis. Homo enim & Albedo est terminus absolutus. Neuter enim denotat suum significatũ alteri adiacere, nã albedo sic albedinẽ significat,

vt etiamsi extra subiectum inueniretur pro illa posset accipi. Homo vero quanuis significet suppositum humanæ naturæ non tamen significat humanam naturam vt adiacentem, sed per modum per se stantis in proprio supposito. Iam vero diffinitio termini connotatiui multa explicatione indiget. In primis contra illam arguitur, nam hic terminus, Rationale, dicitur connotatiuus, & hic terminus, Materiale, & tamen non significat accidens, ergo mala diffinitio. Ad hoc respondetur iuxta communem modum dicendi modernorum, quod diffinitio non est intelligenda de vero accidente, sed de aliquo quod secundum modum significandi termini denotatur quasi adiacere subiecto. Ac proinde volunt quod omnia nomina adiectiua, dummodo non sint syncathegoremata, vt omnis, sunt connotatiua: etiam si id quod formaliter significant sit substantia vel rei essentia. Vnde distinguunt, quòd quidam termini connotatiui connotant essentialiter & alij accidentaliter. Ille connotat essentialiter qui significat de formali aliquid essentiale rei vt rationale, materiale, animatum. Ille vero accidentaliter qui de formali aliquod accidens denotat, vt, risibile, Album. Sed quidquid sit de huiusmodi doctrina: tamen certum est, quod quantum attinet ad vsum Dialecticæ disputationis, in materia de proprietate Ampliationis, illa duntaxat nomina connotatiua censenda sunt quæ significant accidens quod adesse potest & abesse realiter à subiecto, vt Album, Nigrum, Artifex. Verum est tamen vt suo loco constabit, quod quantum attinet ad proprietatem appellationis logicalis etiam alia nomina connotatiua censentur; quæ substantiam vel essentiam significant per modum adiectiuorum. Habeamus igitur pro regula, omnia nomina apud Grammaticos adiectiua dummodo non sint syncathegorematica vt omnis & omne, Nullus, nulla, nullum connotatiua esse: non tamen omnia connotatiua sunt adiectiua vt Doctor, pauper, artifex, latro, & id genus plurima sunt nomina connotatiua significantia formaliter aliquid quod potest realiter adesse & abesse à subiecto.

Deinde

Deinde circa illam particulam diffinitionis termini connotatiui scilicet, vel non adiacentis, nota quod melius diceretur, terminus connotatiuus est, qui significat accidens per modum alteri adiacentis vel negationem alicuius per modum alteri adiacentis. Nam profecto, Cæcum proprie loquendo non significat visum formaliter sed negationem visus per modum alteri adiacenti. Et hic terminus, Non album, non significat albedinem formaliter, sed negationem albedinis per modum alteri adiacentis. Denique aduerte in termino connotatiuo duo significata consideranda esse. Alterum quod materiale, & alterum quod formale dicitur. Formale est illud accidens vel per modum accidentis quod denotatur alteri adiacere, materiale vero dicitur illud cui denotatur adiacere. Sed est disceptatio inter Dialecticos, vtrum istorum sit principalius significatum. Quidam enim aiunt esse materiale pro quo terminus accipitur, vt si dicas: album currit, non accipitur pro albedine sed pro corpore. Alij vero contra aiunt, formale significatum esse principalius, quorum ratio est: quia album & albedo idem significant sed diuersimode, nam album significat albedinem in concreto & albedo in abstracto. Etenim album ratione albedinis significat corpus, imo vt refert Diuus Thomas in 1. sen. distinct. 18. articulo 2. ad 3. Auerroes in 5. metaphysicæ ait nomen connotatiuum non significare proprie materiale, licet Auicenna oppositum dixerit. Item Aristoteles in prædicamentis interprete Boætio ait: Album nihil aliud quam qualitatem significat, quanuis Argyropilus transtulerit: Nihil aliud quàm quale. Et certe Aristoteles ita videtur locutus fuisse. Sicut Argyro. transfert & mens eius fuit docere, album non formaliter substantiam, sed quale significare. Dicendum est igitur nomen, album, ex modo suæ significationis, illa duo importare & subiectum, & albedinem, albedinem quidem vt formam, corpus vero vt materiale subiectum illius formæ à qua informatur & denominatur album. Quod autem non accipiatur pro ipsa albedine prouenit propter differentem modum significandi, nam album significat albedi-

nem non in abstracto sed in subiecto & cum habitudinē ad subiectum. Neque vero supponit pro corpore absolute, sed propter habitudinem subiecti quam habet ad Albedinem, vnde non sequitur quod principalius significet corpus. Sed quæris: An album in significando corpus & albedinem sit vniuocum vel æquiuocum. Respondetur quod album quidem vniuocum est in significando omnia alba quibus ipsum nomen est commune, sed prout dicitur significare corpus & albedinem, neque dicendum est vniuocum neque æquiuocum. Et ratio est quia illa diuisio termini in vniuocum & æquiuocum intelligitur respectu totalis significati cui nomen commune est. Nunc autem albedo & corpus potius sunt partes vnius significati quam significata vniuoce vniuocata sub illō nomine.

Quarta diuisio quæ pertinere potest ad logicalem proprietatem, quæ dicitur appellatio, est termini cathegorematici in terminum primæ intentionis & terminum secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est qui significat aliquid secundum illud quod habet in re vt; homo, album. Terminus secundæ intentionis est qui significat aliquid secundum id quod sibi conuenit per ordinem ad conceptum mentis vt hoc nomen species, vel genus. Si hæ diffinitiones quæ ex D. Thoma in opusculo 42. cap. 12. desumptæ sunt, essent ad vnguem pertractandæ nouitios Dialecticos confunderent potius quam erudirent. Nunc igitur sufficiat aduertere nomine intentionis esse intelligendum mentis conceptum: ita vt idem sit dicere nomen primæ intentionis ac si diceres nomen primi conceptus. Item idem est nomen secundæ intentionis & nomen secundi conceptus. Sunt enim conceptus nostri quos de rebus formamus in duplici differentia. Quidam repræsentant rem vel proprietatem aut accidens ipsius quæ rebus ipsis in se ipsis realiter continentur, hoc est seclusa quacunque operatione aut ordine ad nostrum intellectum vt v. g. conceptus substantiæ, & hominis, & risibilis, & albi & ambulantis. Alij vero sunt conceptus qui formaliter repræsentant aliquam conditionem aut proprietatem quæ non aliter conuenit rei nisi ex eo quod res consideratur per habitudinem ad ip-

1ª et 2ª Intentionis

ad ipsum conceptum vel notitiam mentis, v. g. esse vniuersale esse genus esse speciem, esse nomen vocale vel scriptum hanc vocem homo quæ ad placitum ex impositione habet rationem nominis. Ex quo sequitur quod termini exprimentes priores conceptus dicuntur primæ intentionis. Illi vero qui exprimunt posteriores conceptus dicuntur termini secundæ intentionis. Sequitur secundo quod termini primæ intentionis quidam sunt termini absoluti, alij vero connotatiui vt homo & album: sed termini secundæ intentionis si proprie loquamur debent esse connotatiui significantes de formali relationem rei significatæ materialiter ad conceptum vel notitiam mentis vt vniuersale, genus, prædicatum & prædicabile.

Sed contra. Hoc nomen: vniuersalitas & speceitas (vt ita dicam) sunt nomina secundæ intentionis, tamen non sunt connotatiua, ergo falsum est nostrum documentum. Respondetur. Nego antecedens, nam illa nomina exprimunt duntaxat primum conceptum qui habetur de re significata quæ est relatio rationis alterius rei ad intellectum seu operationem eius. Quam quidem relationem Dialectici sæpe vocant secundam intentionem, non quia sit secundus conceptus: sed quia est relatio, quæ superuenit rei ab extrinseco, scilicet, à secundo conceptu, & trãsferunt nomen ipsius conceptus secundi ad significandum in abstracto relationem rationis, quæ consequitur in re ex illo fundamento & ratione fundandi illam relationem. Ac propterea dixi, illa nomina vt in abstracto significant; non esse dicenda terminos secundæ intentionis: quia re vera non significant rem ipsam, de qua secundus conceptus habetur. Arguitur secundo sophistice. Ista vox Terminus primæ intentionis significat rem, scilicet hanc vocem Homo & similes connotando quod habeant aliquid per ordinem ad intellectũ & tamen nõ est terminus secũdæ intentionis, ergo mala est diffinitio. Probo minorem quia Terminus primæ intentionis est terminus primæ intentionis, ergo non est secundæ intentionis. Ad argumentum respondetur, cõcedo maiorem & nego minorẽ. Et ad probationẽ distinguo antecedens, nam si subiectum accipiatur materialiter non pro re

signi-

significata sed pro ipsis vocibus & prædicatum accipiatur significatiue, falsum est antecedens. Si vero vtrumque accipiatur materialiter, tunc verum est antecedens & nulla est consequentia quia in consequenti subiectũ accipitur materialiter & prædicatũ significatiue pro suo significato. Vnde non est inconueniens quod antecedens sit verum & consequens falsum: quia mala est consequentia.

Quinta diuisio est termini cathegorematici in communẽ & singularem. Terminus communis est terminus plura diuisim significans, vt, homo. Terminus singularis est terminus vnum tantum significans vt Petrus. Hæc etiam diuisio necessaria est ad proprietates logicales explicãdas & ad oppositionem propositionum intelligendam & ad multa alia quæ in sequentibus dicenda sunt. Sed explicare oportet illud aduerbium, Diuisim, positum in diffinitione termini communis. Ponitur enim ad differentiam denotandam inter terminum singularem collectiuum & terminum communem. Nã terminus singularis collectiuus vt Salmantica, si accipiatur pro ipso populo singulari, plura quidem significat sed non diuisim quia illa plura collectiue significat. Ac proinde in diffinitione termini singularis debet intelligi illa particula, vnum tantum, idest, non plura diuisim & idcirco Salmantica, terminus singularis est. Hinc fit alia subdiuisio termini cathegorematici in collectiuum & diuisiuum. Collectiuus est, qui in singulari numero significat plura copulatim vt populus, Salmantica. Diuisiuus vero est qui in singulari numero significat plura diuisim vel vnum quod non est plura copulatim vt, Petrus. Diximus in singulari numero, nam in numero plurali omnes termini cathegorematici collectionem aliquorum denotant, vt, Homines, Populi, neque inde vlla accipitur differentia: sed ex singulari numero. Veruntamen quando plurale secundum declinationem vocis, vt Parisij, Burgi, accipitur pro singulari erit terminus simpliciter collectiuus. Cæterum in ipsis terminis singularibus eos dicimus diuisiuos, qui vnum tantum significant, hoc est non plura collectiue vt Petrus, Ioannes. Sed hic terminus, Petrus & Paulus, in hac propositione: Petrus & Paulus sunt homi-

homines est terminus singularis collectiuus. Hic vero terminus Petrus vel Paulus, est terminus cōmunis, & diuisiuus. Sequitur etiam hunc terminum Sol,& hunc terminum, Mūdus esse communem & quanuis naturaliter non possit esse nisi vnus sol.& vnus mundus: tamen ex modo suæ significationis quilibet eorum potest accipi pro pluribus si essent. In prædictis diuisionibus semper excluditur terminus æquiuocus vt æquiuocus est: vnde hoc nomen Petrus licet sit nomen plurium secundum vocem non tamen secundum vnū conceptum mentis communem pluribus, quod requiritur ad rationem termini communis, vt exprimat conceptum communiter repræsentantem plura diuisim. Denique circa terminum communem,& singularem, singula sunt adnotanda. Circa communem quidem notādum est, esse aliquos terminos communissimos quos Dialectici vocant transcendētes propterea quod quamlibet rem significent,& de qualibet dicantur. Et hi sunt sex. Res, Ens, Vnum, Bonum, Aliquid, Verū, quos terminos his duabus dictionibus denotāt. Reu, Bau, singulis literis initiatiuis, singulos terminos transcendentes designantes. Horum duo primi sunt termini absoluti, Res:& ens, alij vero sunt connotatiui. Sed horum consideratio metaphysica est. Tandem circa terminum singularem etiam adnotant aliam differentiam: nam quidam termini singulares sunt determinati,& distincti videlicet qui distincto conceptu rei singularitatem exprimunt, vt Petrus, Alij vero dicuntur singulares vagi, non quia vniuoce de pluribus dici possint, sed quia confuse rem singularem significant, vt hic homo, hoc ens. Nam profecto hic terminus. Aliquis homo, communis est, neque debet dici singulare vagū, nam vno conceptu significat plura diuisim. Quam obrem melius fieret ista diuisio termini singularis in terminum singularem determinatum,& indeterminatum seu indistinctū. Etenim singulare vagum quale est, Aliquis homo, non est simpliciter terminus singularis cum vniuoce de pluribus singularibus hominibus prædicetur: sed vt Dialectici distinguerent modum significandi illius termini: Aliquis homo, à modo significandi illius termini, Homo, dixerunt illū esse singulare vagum: quia ratione illius adiuncti, Aliquis, repugnabat

gnabat ei accipi pro specie communi, & vniuersali vt in prædicamento substantiæ amplius explicatur à logicis.

Caput secundum de Nomine.



NTER simplices dictiones vel terminos cathegorematicos, & vniuocos Nomen, & Verbum primum dignitatis locum in oratione tenent: quamobrē in distincto capite de illis agere decreuimus. Horū diffinitiones ex doctrina Arist. lib. 1. Periher. accipiēdæ sunt, & explicādæ. Nomē igī tur est vox significatiua secūdū placitū sine tēpore, cuius nulla pars separata est significatiua, finita & recta. Pro intelligētia huius diffinitionis præmisit Aristot. duo fundamenta. Prius est, Ea quæ sunt in voce sunt signa eorū quę sunt in anima, & ea quæ scribūtur signa sunt eorū quę sunt in voce. Posterius fundamētū est, nō esse easdē voces aut scripturas apud omnes: esse tamē easdē res, easdēque animæ passiones, & rerū in mente hominū similitudines. Tota itaque differentia, & varietas in humana intelligētia apud diuersas gentes non in rerum dissonantia neque in earum similitudinibus intra animam existentibus sed in scriptura, & vocibus posita est.

Circa prius fundamentum aduertat præceptor nos potius sensum quam verba Aristotelis proposuisse. Ait namque Aristoteles. Sunt ergo ea quæ sunt in voce eorum quæ sunt in anima passionum notæ. Et vt Argyropylus transfert, signa sunt affectuū qui in anima sunt. Nā si nomine passionū & affectuū intelligeremus dū taxat motus animæ qui ad appetitū pertinent, non esset vniuersalis doctrina: intēdit nāque Dialecticus non solū de signis externis tales affectus exprimentibus sed etiā & potius de illis signis tractare intēdit quæ intellectualium operationum repręsentatiua sunt.

Circa secundū fundamentū est obseruandū easdem quidē res esse apud omnes, eosdemque rerum simplices conceptus veruntamen non apud omnes nationes exercentur eodem modo compositiones mentales illorum conceptuum, sed si-

aut in vocibus differẽtia compositionis inuenitur, sic etiam mentalium Orationum compositio varia in diuersis nationibus & linguis correspondet. Sunt enim propriæ mentales phrases singulis nationibus & linguis & differentes modi dicendi, & cõcipiendi easdẽ veritates. Hæc doctrina hominibus in varijs linguis peritis facile persuadetur. Imo & experientia cõstat cũ aliquis in Vasconica lingua nutritus in qua nullũ verbũ præter, sum es fui & facio facis, inuenitur declinabile: sed omnia alia verba sunt infinitiui modi. Vnde quod nos latina phrasi dicimus: Petrus bene dormiuit, dicũt Vasconici in sua phrasi. Dormire bene fecit Petrus. Hinc est vt difficillime aliarum linguarum phrases addiscant? Propter phrasim mentalium compositionum, quibus assueti sunt.

Iã vero ad nominis diffinitionẽ per singulas particulas explicãdã accedamus. Cõtinet hæc diffinitio nõ minus quã septẽ particulas. Prima est, vox, quæ ponitur, vt ait D. Thom. per modũ generis per quã separatur nomẽ ab omnibus sonis qui nõ sunt voces. Nã proprie vox est sonus ab ore animalis procedẽs cũ imaginatione quadã vt habetur lib. 2. de anima. Dixit vero D. Tho. per modũ generis quia vox est aliquid naturale: nomẽ autẽ est aliquid artificiale rationis: & idcirco nõ potest esse ꝓprie gen⁹ respectu nominis, sed est quasi materia in qua propria ratio nominis inuenitur. De voce itaq; quod naturale est à Dialectico præsupponitur: quemadmodũ faber lignarius nõ de quidditate lignorũ solicitus est: sed de illorũ vtilitate quatenus eius arti, & fini possunt cõducere inquirit. Cũ igitur voces quarũ proferẽdarũ facultas à natura ipsa nobis data est, eatenus vtiles sint præsertim ad dialecticã cõsiderationem pertineãt, quatenus illis mediãtibus significatio rerũ & cõceptuũ expresse exercetur, nõ oportet de natura vocis in Dialectica (vt quidã imprudẽter fecerũt) philosophari. ¶ Secũda particula est, significatiua, Hæc ponitur ad differẽtiã vocũ nõ significatiũ siue sint articulatæ vt Blitiri siue nõ sint articulatæ, vt simplex emissio vocalis. A. vel etiã sibilus. De qua particula mirũ est quã multa methaphysicalia quidã ex modernis disputẽt quæ nõ solũ inutilia sed etiã incipiẽtibus Dialecticam discere nociua sunt. Nos igitur de signo, & modis significandi pauca in præsenti ne-

Diffinitio signi.

cessaria, esse censemus. In primis vtamur doctrina D. Augustini, signum ita diffinientis. Signum est quod præter speciē quam ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire. Vt fumus visus à longe non viso igne facit venire in cognitionem, ignem illic subesse vbi fumus est. Audis etiam hanc vocem, leo, sed non vides Leonem, nihilominus mente concipis illud animal. Vbi aduerte nomine speciei in illa diffinitione intelligi debere similitudinem quādam à rebus sensibilibus nostris sensibus impressam, per quam similitudinem notitiam rei quæ dicitur signum habemus. Requiruntur enim duæ notitiæ, vt signum suam significationem erga nos exerceat. Altera notitia est ipsius rei, quæ signum est. Altera notitia est rei significatæ. Si enim ignis nullam notitiam habeas nunquam fumus tibi ignem significabit quanuis de se significatiuus sit. Similiter si Leonis nullam habeas notitiam non poterit hæc vox, leo, tibi significare. Non desinam hoc in loco aduertere quam impropriè loquantur quidam moderni dum aiunt mentales conceptus signa esse rerū quas expresse, & seipsis formaliter repræsentant. Etenim, etiam secundum Latinæ linguæ proprietatem, ratio signi, & significandi imperfectam repræsentationem in se habet respectu rei repræsentatæ. Nam profecto siquis expresse aliquam veritatem doceat inepte diceremus illam significasse. Qui enim significat, non ex integro rem præsentem facit. Et quia voces mentales conceptus, non expresse, & formaliter repræsentant, sed instrumenta quædam sunt quæ non adæquant rei significatæ perfectionem: idcirco proprie signa, & significare dicuntur. At vero mentales conceptus quia omnem perfectionem rei repræsentatæ in seipsis formaliter in esse intelligibili continent, ideo non signa sed imagines expressæ rerum dicēdi sunt. Sicut, & verbum in diuinis imago quidem est patris, non autem signum. Imo & in humanis filius hominis, est imago patris repræsentans patrem, & tamen non significat patrem, quia in eo quod repræsentat non censetur aliud à se repræsentare siquidem repræsentatum pari ratione simile, est in natura ipsi filio. Sic etiam conceptus repræsentando rem, quia repræsentat illam prout formaliter in esse intelligibili continetur in ipso conceptu non

dicitur

dicitur repræſentare aliud à ſe, ſed repræſentando ſe repræſentat rem in ipſo contentã. Hæc pro viris doctis dicta ſint, licet aliquando loquantur vt multi & ſentiant vt pauci. Nã & S. Thom. interdum non tanto rigore loquitur.

Signum diuiditur in ſignum naturale & ſignum ad placitum. Signum naturale eſt ſignum quod ex natura rei ſignificat, ideſt, ſecluſa inſtitutione beneplaciti hominum, v.g. fumus naturale ſignum eſt ignis quia ex natura ſua & non ex beneplacito hominum repræſentat ignem præexiſtente cognitione ſui. Quæ repræſentatio fundatur in eo quod eſt effectus præſentaneus ipſius ignis. Similiter veſtigium animalis pulueri impreſſum ſignum eſt illius animalis quatenus illac pertranſiuit. Neque tamen aſſerimus omnem effectum eſſe ſignum ſuæ cauſæ. Sunt enim effectus eiuſdem ſpeciei cum cauſa. Vt filius Petri ab illo genitus & tamen non ſignificat Petrum: nam vt diximus ad rationem ſigni pertinet repræſentare aliud à ſe vel à ſibi ſimili. Quare vbi effectus & cauſæ ſunt pariter ſibi ſimiles nõ dicetur effectus ſignificare cauſam. Semper enim ſignum degenerat abeo cuius eſt ſignum. At vero imago bene poteſt habere rationem imaginis & non ſigni quando eſt eiuſdem ſpeciei cum eo cuius eſt imago ſicut filius eſt imago patris & non ſignificat patrem. Imagines autem depictæ aut ſculptæ ſigna ſunt eorũ cuius ſunt imagines. Non enim repræſentant aliquid ſibi ſimile quanuis ipſæ imagines ſint ſimiles rebus repræſentatis. Etenim imago repræſentat ſubſtantiam rei viuentis cum ipſa careat vita. Neque opus eſt in huiuſmodi conſideratione quæ maioris momenti eſt amplius Dialecticum immorari. Signa itaque naturalia, cum ex natura rei aliud à ſe repræſentent eadem ſunt apud omnes. Iam vero ſignum ad placitũ illud eſt quod ipſa nominis etymologia explicatur. Neque Ariſtoteles aliam diffinitionem neceſſariam putauit. Nihil enim aliud eſt quam quod non natura ſua ſed ex hominum beneplacito ſignificationem habet. Nihilominus nõ debemus exiſtimare voces apud homines ſic ad placitum ſignificare vt nunquam habitus fuerit reſpectus ad aliquã proprietatem ipſis vocibus naturalem. Multa enim nomina & verba ad ſignificandum impoſita ſunt propter naturalem ſonitum

nitum

nitum vocis conuenientem cum rebus significatis vt nomē. Tuba, & verbum, Taratantarizo; & nomen spiritus vt ventum significat, quod apud Hebræos dicitur Ruahh. Et multa alia similia in varijs linguis inueniuntur. Memini hanc considerationem in D. Augustino legisse, qui exemplum ponit in his dictionibus suaue, acre, asperum, in quibus & in alijs multis ipsa prolatione vocis conformitas est cum re significata. Vt mugitus rugitus quæ omnia per onomatopœiam dicuntur significare. Nihilominus hanc considerationem in omnibus dictionibus non possumus vniuersaliter facere. Hoc vnum est certum, quod etiam illæ dictiones quæ Onomatopœiam habent significant ex hominum beneplacito.

Quarta particula est, sine tempore, per quam nomen distinguitur à verbo, quod significat cum tempore. Quid autem sit significare cum tempore, in diffinitione verbi explicanda patebit.

Quinta particula est: Cuius nulla pars est significatiua, separata. Ratio huius particulæ ea est, quia nomen imponitur ad significandam simplicem quidditatem rei pro vt à nobis primo concipitur. Et idcirco nomen rei non debet esse diuisum in partes significatiuas: sed potius vnicam & simplicem significationem habere debet: sicut etiam vnicus conceptus in mente habetur primo de singulis rebus, quam voce significatiua exprimimus. Ponit autem exemplum, Aristoteles in hoc nomine Equiferus, quod est nomen compositæ figuræ: quia in illo videbatur aliqua eius pars significare, veruntamē insinuat nihil significare per se seorsum prout est pars illius dictionis Equiferus quo nomine significamus simplicē conceptū quē formamus de equo Syluestri nō prout exprimitur cōplexiua voce, equus ferus. Et similiter dicēdū est de hoc nomine, Respublica, quod quidē impositū est ad significādā cōmunē hominū in vnitate gubernationis cōgregationē quatenus à nobis simplici conceptu intelligitur. Itaque neque Syllaba, Res, neque, Publica, prout sunt partes illius nominis significāt: tametsi initio cōpositionis & impositionis illius nominis, Respublica, habita fuerit ratio significationis vtriusque partis.

Sexta

¶Sexta particula est, finita. Hæc ponitur ad excludendũ à ratione nominis nomen infinitum, quale est, Non homo, de quo dicit Aristoteles, non esse nomen simpliciter sed esse nomen infinitum. Considerauit enim Aristoteles rationem nominis esse significare aliquid determinatũ quod de re concipitur: at vero hoc quod dicimus: Non homo nihil determinatũ nobis de re significata denotat: sed potius quid non sit significat: Quamobrem dicitur nomen infinitum, idest non determinans sua significatione quid sit quod per tale nomẽ concipimus: sed indifferentiam habet in modo significandi tã ad id quod est quam ad id quod non est. Vbi diligenter aduerte, quod quidã ita explicant dictum Aristotelis assignantis rationem quare dicatur nomẽ infinitum, quoniã inquit: similiter in quolibet est, & quod est & quod non est: aut vt Argyropilus transtulit, quoniã & quod est, & quod non est in ratione rerum sine discrimine vllo significat. Aiunt enim sensum horũ verborũ esse, quod, Non homo similiter significat entia vera & entia fictitia. Ex qua intelligentia refutare intendunt quod alij dicunt, hoc nomen album significare omne illud cui possumus imaginare conuenire albedinem. Si enim hoc ita esset, sequeretur, Album non esse nomen: quia significaret tam entia vera, quam fictitia. Sed reuera qui sic interpretantur Aristotelem nõ videntur nobis illius mẽtem attingere. Nam si idcirco diceretur nomen infinitum: quia similiter significat entia vera & fictitia, sequeretur hoc nomen, significabile, esse nomen infinitum: nam etiam significat entia vera & entia fictitia, cum vtraque significari possint. Quapropter sensus legitimus illorum verborum est, quem Argyropilus insinuat in sua translatione, scilicet ideo appellari nomen infinitum, quia & quod est & quod non est in ratione rerum sine vllo discrimine significat. Quasi diceret, nomen infinitum ex modo suæ significationis nec determinat, neque excludit quod est de ratione rerum, de quibus dicitur, verbi gratia, hæc propositio, Equus est non homo, vera est, in qua prædicatum est nomen infinitum & dicitur de subiecto non determinando aliquid quod sit intrinsecum in ratione equi, sed neq; excludendo illud quia dumtaxat connotat negationem hominis.

 minis,

minis. Ex dictis sequitur, hanc propositionem, Chimera est non homo, falsam esse, si verbum, Est, dicat existentiam vt Aristoteles ait libro 1. Priorum cap. vltimo, propositionem quidem negatiuam nihil ponere in rebus: sed affirmatiuam de prædicato infinito aliquid ponere. Quare negat hanc cõsequentiam: lignum non est album, ergo lignum est non album. Intellexit igitur Aristoteles prædicatum quod est nomen infinitum non importare aliquid quod determinate inueniatur in ratione subiecti. Alias profecto si prior illa intelligentia esset legitima sequeretur vniuersaliter de omni quod non est in rerum natura vere prædicari: Non homo. Fateor tamen D. Thomam libro 1. Periher. lectione 4. asserere, hanc propositionem. Chimera est non homo: quia certe considerauit eam propositionem esse in materia naturali propterea quod negatio importata per prædicatum intrinsece includitur in ratione subiecti: ac proinde copula. Est, ab soluitur à tempore, idest, non vnit extrema secundum exigentiam differentiæ temporis præsentis. Sic etiam hæc propositio, Antichristus est non homo, est impossibilis quia ratio significata per prædicatum repugnat rationi significatæ per subiectum.

Septima & vltima particula est. Recta, per quam excludũtur casus nominis à ratione nominis simpliciter dicti. Ratio autem quare casus nominis non simpliciter sint nomina, ea esse potest à posteriori, quia quando interrogamur quomodo aliqua res vocetur, nunquam respondemus per aliquem casum nominis: sed respondemus proferentes rectum, v.g. si quis interroget: Quod est nomen huius animalis? Aut huius herbæ? Respondemus, equus, vel petrosilinũ. Huius rei ratio altera magis à priori est, quia nomen est nota rẽ rei quatenus à nobis primo concipitur pro vt in se est absque comparatione illius ad alteram rem vel absque habitudine ad aliud. At vero casus nominis idcirco dicuntur, quia declinãt ab illa simplicitate primi conceptus eò quod res concipitur cum quadam habitudine ad alteram, v.g. cum dicimus, Hominis, intelligimus quidem eandem rẽ quam significamus per vocem: Homo, sed non omnino eodem modo quia ex parte intellectus est quædam rei comparatio quamuis non actuali-

ter

ter ad aliam rem. Qui modus plene intelligi non potest sine alio adiuncto. Vt cum dicimus, filius hominis: equus hominis, Caput hominis. Et in prima quidem comparatione intelligis aliquid genitum ab homine, in secunda vero, aliquid possessum: in tertia quod est pars hominis.

Placuit autem Grammaticis illum casum appellare genitiuum, quia præcipua vel prima comparatio est generantis ad genitum. Sunt nihilominus plures aliæ habitudines illius casus ad rem significatam per alteram vocem quæ illi adiungitur. Dicitur enim Deus hominis & homo Dei, & amicus hominis & Magister hominis & hominis discipulus. Similiter & aliorum casuum varias habitudines poteris considerare. Quamobrem hi casus obliqui dicuntur, quasi non recta via & sincere rem significantes prout absolute est in se. Alia ratio à quibusdam modernis assignatur, quia videlicet si obliquo adiungas verbum non consurgit verum aut falsum. v.g. Hominis disputat. Et hanc octauam particulam adijciūt diffinitioni Aristoteli:, sed tamen superflua est. Neque vniuersaliter vera est. Nam hæc oratio. Pœnitet me peccati, verum vel falsum continet & tamen obliquus ille, Me, non propterea nomen est.

Sed obijcitur cōtra prædictam doctrinam, quia in quibusdam linguis nō inuenitur declinatio nominū sicut in lingua Hispanica & Hebraica, imo & lingua Græca caret ablatiuo, ergo in huiusmodi linguis nō opus est illa particula. Recta: in diffinitione nominis. Respondetur quod in illis linguis quanuis sit vnica terminatio vocis, tamen ex adiunctis differentia casuū à recto intelligitur, sæpe etiā quibusdā articulis ea differentia denotatur vt patet in lingua Hispanica. Græca vero lingua plus satis hanc differentiā exprimit non solum terminatione vocis sed etiā varijs præpositis articulis. At vero genitiuo vtuntur pro ablatiuo præposito articulo distinctiuo. Solēt hoc in loco Moderni prolixe & importune disputare: an in mēte idē sit conceptus qui formatur audita hac voce. Hominis. Cuius difficultatis determinatio pro nūc capacitatē excedit discipulorū. Mihi certū est in mente eūdē esse conceptū cathegorematicū nominis & obliqui. Cæterū an ille modus qui variat rationē nominis & obliqui significetur *Lectio. 10.*

cetur ex parte obiecti an vero dumtaxat se teneat ex parte intellectus exercentis illam comparationem & habitudinem rei nihil retulerit ad veritatem vel falsitatem, quam Dialecticus inquirit in compositione. Iam de nomine adiectiuo merito quæritur: An sit nomen simpliciter & sine addito. Ratio dubitandi est, quia non est aliqua particula in diffinitione nominis per quam excludatur adiectiuum, verbi gratia albus à ratione nominis sed ex altera parte obstat quia ex adiectiuo & verbo non resultat verum vel falsum.

Vt si dicas, albus ambulat, nisi subintelligas substantiuum Homo, vel aliud, non resultat verum vel falsum. Respondetur nomen adiectiuum esse vere & proprie nomen, quia per nullam particulam diffinitionis excluditur. Quod enim possit reddere suppositum verbo, non impedit rationem nominis. Hoc enim prouenit ex eo quod est nomen adiectiuum, & habet talem modum significandi suum formale significatum vt non seorsum possit accipi, nisi pro supposito substantiui. Negare enim non possumus quin adiectiuum nomen habeat aliquid de proprietate syncathegorematum, quorum significationis completa cognitio sine adiunctione ad alterum haberi non possit. Neque propterea nomen adiectiuum dicetur syncathegorema Non enim desinit significare aliquid licet illud aliquid aliqualiter significet: sicut postea dicemus de verbo quo significat aliquid vnitiue. Ex hoc intelliges quædam dicta à D. Thoma in quibus non modicam differentiam esse docet inter adiectiuum & substantiuum. Nam 1. part. quæst. 39. art. 3. ait: Adiectiua significant per modum accidentis, substantiua vero per modum substantiæ. Et in 3. sent. dist. 5. ait, adiectiua significant tantum formam substantiua vero formã & suppositum, & ibidem adiectiua prædicantur tantum per informationem, substantiua vero etiam per identitatem. In quibus omnibus dictis non intelligas adiectiuum solam formam significare, sicut Albedo significat aliquid quod est forma qua aliquid est album. Sed mens D. Thom. est quod quãuis adiectiua sint nomina concreta, tamen habent talem modum significandi vt cum adiectiue accipiuntur cõtenta sint

sup-

ſuppoſitò ſui ſubſtantiui. Et ei applicent ſuum formale ſignificatum per modum adiacentis illi pro quo accipitur ſubſtantiuum. Et hæc doctrina neceſſaria eſt pro loquutionibus de myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis. Vbi hæc propoſitio. Eſſentia Diuina generat hæretica cenſetur, quia prædicatum eſt verbum adiectiuum. Si autem diceres: eſſentia Diuina eſt generans, prædicato ſubſtantiue accepto, in genere neutro, fiet catholica propoſitio. Sed de hoc alias.

Quæret denique fortaſsis aliquis, cum præcipuum & primum notamen rei ſit mentis conceptus, quid cauſæ eſt quare Ariſtoteles non potius primo loco meminerit nominis mentalis quam vocalis. Reſpondetur eã eſſe rationem quia Philoſophus præſupponit id, quod omnibus hominibus natura inditum eſt, nimirum, conceptus rerũ mẽte formare ex rebus ſenſibilibus quarum per ſenſum experiẽtiã habet. Itẽ hominibus naturale eſt affirmare & negare aliquid de rebus cognitis. Naturale etiam eſt ex vno vero cognito ad aliũ inquirendum ratione hominem moueri. At vero quanuis hæc omnia primo & per ſe & principaliter mente exerceantur: tamen quia illud exercitium quo pacto fiet, difficillimũ eſt cognoſcere quadam ſpirituali mentis reflexione: idcirco cõmodius fuit diſcipulos per ſigna ſenſibilia, quales ſunt voces illã internam mentis exercitationem diſcipulis tradere. Huius rei gratia Ariſtoteles illud iecit fundamentum initio libri Periher. dicens, ſunt ergo ea quæ ſunt in voce ſigna eorum quæ ſunt in anima. Fuiſſet enim nimis metaphyſicum in veſtibulo Dialecticæ, ſpirituales mentis operationes diſcipulis proponere, non prius ordine vocum præmiſſo. De ſcriptura vero non opus eſt rationem reddere quare de his quæ ſunt in ſcripto ſigna non dentur diffinitiones nominis, aut verbi. Nullam enim habent ſpecialem difficultatem præter illam quæ de vocibus quarum ſcripturæ vicariæ ſunt explicatur. Si quæ vero ſpecialis in ſcriptura difficultas eſt, ad orthographiam & grammaticalem punctuationem pertinebit: cuius ignorantia orationis ſenſum ſæpe variat.

De pronominibus tandem, an ſint nomina ſimpliciter, dubitari poteſt. Ratioque dubitandi eſt quia non appareat *Lectio. 11.*

 per

per quam particulam diffinitionis excludantur. Præsertim quia pronomina adiuncta verbo perfectam orationem constituunt, verbi gratia, Ego sum; Tu disputas. Sed pro altera parte facit, quod apud Grammaticos pronomen est alia pars orationis quàm nomen. Quidam aiunt idcirco pronomina non esse nomina, quia non ratione sui sed ratione nominum pro quibus ponuntur, veram vel falsam propositionem efficiunt. Sed isti non aduertunt id quod iam diximus, illam conditionem in diffinitione nominis superfluam esse, nam neque nomini adiectiuo conuenit, quod tamen vere nomen est. Notandum est igitur aliter pronomina à Grammaticis considerari & aliter à Dialecticis. Grammaticus enim idcirco ait pronomen dici, quia ponitur loco nominis proprij, verbi gratia ego disputo, perinde est ac si dicerem, Dominicus disputo. Sed profecto hæc Etymologia non necesse est vt verum habeat quotiescunque pronomine vtimur. Nam etsi mihi nullum nomen proprium esset impositum vere dicerem, Ego disputo. Dicimus etiam, hunc montem esse altissimum, qui tamen proprium nomen non habet. Dialecticus autem aliquid in huiusmodi pronominibus in modo significandi intelligit, quod alijs nominibus non competit. Habent enim pronomina demonstratiua significare demonstratiuè cum certa proprietate differentiæ personarum vel suppositorum pro quibus accipiuntur, verbi gratia pronomen, Ego, singulare suppositum designat non quomodolibet sed singularem personam, quæ de seipsa aliquid affirmat vel negat. Sic etiam pronomen, Tu, dete mi at personam cui prima loquitur & pronomen, Ille, vel, Iste, vel, Hic, tertiam personam designat de qua prima ad secundam loquitur. Hæc igitur pronomina, si duntaxat haberent demonstratiue significare, essent pure syncathegoremata, vt fortassis aliquando syncathegorematice accipiuntur, vt cum dicimus: Hic homo currit. Vbi dictio, Hic, signum est demonstratiuum singularitatis & pro pr ietatis hominis. Sed quia non semper necesse est rei demonstratæ distinctum conceptum formare, sed vnico simplici conceptu intelligimus rem demonstratam pronomine

mine, non video qua ratione pronomina excludantur à diffinitione nominis à Dialectico. Sed obseruandum, est nos non asserere huiusmodi pronomina esse nomina communia & vniuoca quæ vnico conceptu significent sua significata. Hoc enim falsum est. Nemo enim concipit audita ista voce, Ego, vnum conceptum communem singulis hominibus qui illa voce vtuntur, dum de se ipsis aliquid affirmant aut negant. Quanuis enim vox communis sit tamen alium conceptum singularem exprimit cum illam mihi applico & cum Petrus sibi illam applicat. Et idem sentiendum est de pronomine, Tu, & de pronomine, Hic, vel, Ille, quando demonstratiue accipiuntur. Dixi demonstratiue, quoniam aliquando quædam pronomina relatiua sunt, quæ non singulariter referunt antecedentia sed etiam in communi, verbi gratia cum dico: Homo est animal rationale & ille est risibilis, Equus est animal hinnibile qui est quadrupes. Et de huiusmodi pronominibus arbitror non solum esse nomina sed veluti transcendentia habentia, tamen aliquam significationem syncathegorematicam quæ sine officio referendi intelligi non potest.

Caput tertium de diffinitione Verbi.



ERBVM prout à nomine distinguitur præcipua pars orationis est. Comparatur enim verbum ad nomen quasi forma ad materiam. Nam cum verum & falsum in omni oratione sit finis Dialecticæ considerationis, idque superueniente verbo nomini compleatur: constat verbum quasi informare subiectum nomen, vt ex vtroque consurgat oratio vera vel falsa. Vbi ante diffinitionem verbi notandum est huius dictionis, Verbum, apud Latinos latam esse significationem. Etenim omnis dictio simplex verbum appellari potest. Veruntamen quia verba ad explicationem mentis instituta sunt, non immerito illa dictio quæ

Lectio. 12.

ſenſum mentis perfectè ſupra nomen explicat verbum quaſi per excellentiam ſpecialiter vocata eſt,& hanc intendimus modo cum Ariſtotele diffinire. Verbum igitur,vt ex Ariſtotele colligitur vbi ſupra, eſt vox ſignificatiua ad placitum cum tempore,finita & recta, cuius nulla pars ſeparatim ſignificat & eſt nota eorum,quæ prædicantur. In hac diffinitione verbi duæ duntaxat particulæ ſunt differentes ab eis quæ in diffinitione nominis poſitæ ſunt & explicatæ. Videlicet, ſignificare cum tempore & eſſe notam eorum quæ prædicantur. Illa prior diligenter explicanda eſt. Ait enim Ariſtoteles, verbum eſt quod conſignificat tempus. Quam ipſemet, ſicut Diuus Thomas aduertit,explicat exemplo. Nam curſus quidem ſignificat actionem non per modum actionis,ſed per modum rei,& ideo curſus nomen eſt: Currit autem verbum eſt, conſignificat enim tempus cum actione, quod eſt conſignificare tempus vel cum tempore, vt moderni loquuntur. Et hoc eſt in quo potiſsima differentia, inter nomen & verbum conſiſtit, vt aduertit D. Thomas libro 1. Periher. lectione 4. Vbi tria conſiderat circa tempus. In primis poteſt tempus conſiderari,vt eſt res quædam, & ſic nomine ſignificatur ſicut quælibet alia res. Deinde poteſt conſiderari id quod tempore menſuratur pro vt menſuratur,quod quidem eſt motus qui primo & per ſe tempore menſuratur, in quo motu conſiſtit actio & paſsio. Quamobrem verbum quod ſignificat actionem vel paſsionem,dicitur conſignificare tempus vel ſignificare cum tempore,nimirū,quia in ipſa actione vel paſsione ſignificata, intelligimus illam tempore menſurari. Nam ſubſtantia ſecundum ſe conſiderata pro vt ſignificatur nomine aut pro nomine, non habet tempore menſurari,ſed ſolum ſecundum quod ſubijcitur motui etiam prout per participium ſignificatur. Vt cum dicimus Petrus amans.Neque enim verbum & participium differunt iuxta ſententiam D.Thomæ in hoc quod eſt ſignificare cum tempore. Tertio poteſt conſiderari circa tempus ipſa habitudo temporis menſurantis quæ ſæpe ſignificatur per aduerbia temporalia, vt, Cras. Heri, Pridie, Veſpere, Mane, Meridie. Et hæc aduerbia non dicuntur

tur

tur consignificare tempus vel cum tempore, sed solum significant quandam habitudinem temporis quæ amplius explicabitur cum de particula, recta, dixerimus. Hæc enim aliter in verbo & aliter in nomine intelligenda est. Sed operæpretium est prius assignare rationem quare verbum infinitum excludatur à diffinitione verbi, nam si est eadem ratio propter quam nomen infinitum excluditur à ratione nominis non videbatur repetenda in diffinitione verbi. Respondetur, Aristotelem voluisse aduertere, nequis falleretur & putaret verbum infinitum esse simpliciter verbum: quia significat cum tempore & est nota eorum quæ prædicantur. Et idcirco voluit admonere non esse simpliciter verum ob eandem rationem propter quam nec nomen infinitum nomen est. Hic aduerte quod verbum infinitum accipitur in vi vnius dictionis, verbi gratia. Non currit, alias si essent duæ dictiones, iam excluderetur per aliam particulam: Cuius nulla pars seorsum significat. Vbi etiam secundo aduerte quod verba importantia priuationem vt verbum, Sileo, quanuis importent negationem, sunt tamen simpliciter verba, eo quod significant illam negationem in subiecto determinato, videlicet in animali quod aptitudinem habet ad loquendum. Est autem alienum à verbo infinito determinare subiectum suæ negationis, sed in hac parte omnino se habet vt nomen infinitum vt supra satis explicatum est.

Hoc in loco moderni prolixe quærunt, an verbum infinitum inueniatur in mente, Et an in propositione reperiatur. Ad vtramque tamen interrogationem affirmanter responde mus. Et ratio prioris est in promptu, quia sicut nomen infinitum inuenitur incomplexe in mente non alias excluderetur à ratione nominis: quia infinitum est, sed quia partes eius separatim significant. Sic etiam ob eandem rationem verbum infinitum in mente inuenitur vt vnus conceptus incomplexus, alias superflue poneretur in diffinitione verbi, finita: cum sufficienter excluderetur per aliam: Cuius nulla pars separatim significat. Deinde quod verbum infinitum in propositione inueniatur, probo quia secundum Aristotelē verbū infinitum est nota eorum quæ prædicātur Lectio 13.

sed

sed hoc exercere non potest nisi in propositione. Confirmatur, nā verbū infinitum dicitur tā de eo quod est quā de eo quod non est: id quod fieri nisi in propositione non potest. Et denique omnis dictio significatiua ad placitū ad hoc instituta est vt eius vsus sit in propositione sed verbū infinitū est vox significatiua ad placitū, ergo in propositione inueniri potest. Sed obijciunt, quia Boetius & Albertus Magnus & D. Tho. & alij antiqui super librū 1. & 2. Periher. negāt verbū infinitum posse infinitari in propositione. Ad hoc & nos respondemus, id ipsum verissimū esse. Aliud enim est verbū infinitū inueniri in propositione & aliud est verbum semel positū in propositione infinitari posse per additionem illius negationis, Nō. Illud enim prius est quod nos asserimus, hoc autē posterius etiā negamus cū antiquis. Nam postquā assero in mente, Petrus currit, si addidero negationē mētalē, fiet propositio negatiua. Neque enim verbum mentale miscetur cū negatione vt fiat vnus conceptus incōplexus. Verūtamē cū dico in voce, Petrus non currit, si non currit accipiatur in vi vnius dictionis, correspōdet ei in mēte vnus cōceptus qui etiā est verbū infinitū & fit affirmatiua propositio. Confirmāt aliqui nostrā sententiā ex eo quod Philosophus lib. 1. poster. Vtitur hoc syllogismo, omnes stellæ non scintillantes sunt prope nos, Planetæ nō scintillāt, ergo planetæ sunt prope nos. Qui tamen syllogismus non esset bonus nisi minor esset affirmatiua de verbo infinito. Nā conclusio affirmatiua non potest sequi nisi ex duabus affirmatiuis, sed de hoc lib. 5. dicendū erit. ¶Iā vero ad perfectā intelligentiam eius quod est significare cū tēpore, necesse est illam particulā, recta, explicare. Nā quanuis in diffinitione nominis sit posita: tamen alia ratio rectitudinis consideratur in verbo & alia in nomine. Nomen enim recta vox est, quatenus vt iā capit. 2. diximus significat id quod primo concipitur de re & vt primo nominamus illā, ac propterea nominatiuus dicitur. Verbū autē habet rectitudinem regulatiuam quatenus actionem vel passionē cū tēpore præsenti significat. Reliquæ vero partes verbi quæ significant cum tempore præterito vel futuro, sunt casus verbi degenerātes à ratione perfecta verbi ad quam pertinet significare actionem vel passionem prout in

præ-

præsenti est in fieri. Huius rationem D. Thomas libro 1. Periher. Lectione 5. reddit. Quoniam inquit Verbum proprie est quod significat agere vel pati:& idcirco illud dicitur proprie verbum quod significat agere vel pati in actu præsenti. Hoc enim est simpliciter agere vel pati. At vero agere vel pati prout significatur in præterito vel futuro est agere vel pati secundum quid. Item docet quare verbum præsentis temporis debeat esse vox recta, vt sit simpliciter verbum. Nam præteritum & futurum dicitur & regulatur per respectum ad præsens. Præteritum quidem dicitur quod fuit præsens:futurum autem quod erit præsens, ergo verbum quod significat cum tempore præsenti regula est & mensura aliarum partium verbi quæ deficiunt à ratione significādi actionem vel passionem quæ non est simpliciter actio vel passio nisi in tempore præsenti. Et denique cum verbum sit completiuum orationis in qua est verum vel falsum, omnis autem veritas & falsitas ad præsens tempus reuocanda sit, merito illæ partes verbi quæ non significant actionem vel passionem prout tempore præsenti exercentur & mensurātur, casus verbi dicuntur: non quia non compleant veritatem & falsitatem orationis sed quia talis veritas regulāda sit per tēpus quod fuit præsens vel erit præsens, non per tēpus quod nunc est præsens & actualiter mensurans actionem vel passionem.

Ex dictis sequitur alias partes verbi quæ minus complēt veritatem aut falsitatem orationis, multo minus verba simpliciter esse dicendas quia magis recedunt ab illa perfecta ratione verbi. v.g. Petre curre, cum Petrus curreret, vtinā ego currerem, in quibus omnibus illæ partes verbi magis cadunt & degenerant à ratione verbi. *Lectio. 14.*

Præterea obseruandum est circa priorem rationem D. Thomæ vbi inquit proprie verbum dici quod significat agere vel pati. Ex quo videtur sequi à ratione verbi excludendum esse illud quod non significat proprie actionē vel passionem, qualia sunt hæc verba, sileo, sedeo, quiesco. Imo & hoc verbum sum es fui, quod primum omnium verborum locum tenet. Consequens autem est falsum: quoniam omnia prædicta vere & proprie verba sunt. Ad hanc coniectionem

dico,

dico, nomine actionis vel passionis debere intelligi etiã priuationem actionis vel passionis, aut aliquid significatum per modum actionis vel passionis, aut denique quasi fundamentum omnis actionis vel passionis, vel priuationis ipsarum. Fundamentum dico prout actualiter mensurabile est aliqua duratione. Diximus priuationem actionis vel passionis vt includeremus verba priuatiua qualia sunt, Sileo. Quiesco. Dixi vero, vel per modum actionis vel passionis: vt includerem verba quæ à Grammaticis dicuntur neutra: quale est verbum, Sedeo, Iaceo, quæ non important formaliter priuationem, sed situm quendam. Sunt tamen verba, quia ipsum sedere per modum actionis vel passionis significant. Et fortassis hinc quidam ex Grammaticis negat esse verba neutra, & ait omnia esse actiua vel passiua: ita vt cum dico, sedeo, intelligendum sit sedeo sessionem. Sed rogarem ego, cum dico, Iaceo, an sit intelligendum, Iaceo iacturam. Vasconici quidem vtuntur simili phrasi, ita vt dicant facio dormire, facio iacere, propter ipsius linguæ verborum penuriam: Latinis autem non opus est has intelligentias verborum inauditas apud Philosophos tradere. Dialectico vero parum retulerit sint ne appellanda verba neutra, actiua, vel, passiua: dummodò sciat non esse necessarium ad rationem verbi simpliciter vt significet proprie physicam actionem vel passionem. Denique dixi satis esse ad rationem verbi vt loco actionis vel passionis significet fundamentum omnis actionis vel passionis vel priuationis: ne excluderem verbũ, sum es fui quod re vera maxime proprie verbum est. Quanuis enim non significet actionem vel passionem neque aliquid per modum actionis vel passionis neque priuationem actionis vel passionis: tamen significat fundamentum agendi vel patiendi & non quomodolibet sed vt mẽsurabile de præsenti aliqua duratione vt mẽsura durationis, siue illa mensura sit tẽpus quæ mensurat corruptibiles res & esse illarum, siue sit æuum quod mensurat esse rerũ incorruptibiliũ, siue sit æternitas quæ à Theologis ponitur mẽsura durationis diuini esse: omnibus prædictis modis verbũ illud sum, es præsentis tẽporis habet vere & proprie rationẽ eminentem verbi, & est prima nota eorum quæ prædicantur & includitur in omni

alio verbo cuius virtute omnia alia verba sunt nota & copula eorum quæ prædicatur. Aristoteles autem in diffinitione verbi nomine temporis voluit comprehendere omnem mēsuram durationis propterea quod tempus nobis notissima mensura est esse rerum & actionis vel passionis earum. Hoc ipsum insinuat D. Thomas libro 1. Periher. lectione 4. vbi ait per nobis notissima Aristotelem diffinisse. Denique aduerte casus verbi non variari per differentiam personarum, neque per differentiam pluralis & singularis sed proprie verbum est, Amo, Amas, Amat, Amamus, Amatis, Amant. Quia hæc variatio dumtaxat est ex parte subiecti non ex parte actionis vel passionis, vel temporis consignificati.

Vltima particula à nobis explicanda est, quam Aristoteles adiecit, & est nota eorum quæ prædicantur. Hanc particulam aliqui ex modernis non apposuerunt in diffinitione verbi putantes esse superfluam ad excludendū participium à diffinitione verbi quia participium sufficienter excludebatur per aliam particulam cum tempore. Nos vero cum D. Thom. vbi supra asserimus participium significare cum tempore & consequenter necessariam esse prædictam particulam. In primis quia esse notam, idest, signum vnitiuum eorum quæ prædicantur est potissimum officium verbi, ergo in diffinitione eius hæc virtus vnitiua debuit explicari. Deinde quia per illam particulam, cum tempore, vix & ægre explicat quomodo excludatur participium præsentis tēporis à ratione verbi. Aiunt enim intelligendam esse particulam illam cum tempore determinato. Participium vero etiā præsentis temporis significat cum tempore indeterminato. Vocant autem indeterminatum tempus participii quia potest transferri per verbum ad tempus præteritum, & futurum, vt si dicas, Petrus fuit amans, Petrus erit amans, quod quidem de verbo præsentis temporis fieri non potest. Sed hæc voluntarie dicuntur, quia etiam verbum præsentis temporis potest transferri etiam ad id quod futurum est, vt si dicas Antichristus possibiliter est. Cum igitur Aristoteles ex professo adiecerit illā particulam, & est nota eorum quæ prædicantur non est quare nos illā taceamus sed illā merito explicare debemus diligēter cum D. Thom.

lectio-

lectione 5. libro 1. Periher. Pro cuius intelligentia aduerte primo quod cum Aristoteles dixisset, & est semper eorum quæ de altero dicuntur nota vel signum, adiecit exemplicausa dicens: Vt eorum quæ de subiecto dicuntur, vel, in subiecto sunt, in quibus verbis duplicem modum prædicationis videtur insinuasse vt inquit D. Thomas. Alter modus est quã do aliquid prædicatur essentialiter vt, homo est animal tũc dicitur de subiecto. Alter modus est quando aliquid prædicatur sicut accidens, & tunc dicitur esse in subiecto vt in hac prædicatione: Homo est albus. Ex quo sequitur quod cũ omnia verba significent actionem vel passionem, quæ sunt accidentia subiecto frustra disiunctiue loquutus est Aristoteles, dicens, vt eorum que de subiecto dicuntur & in subiecto sunt. Ad hoc respondet Boetius, quod vtraque pars disiunctionis ad idem pertinet. Nam accidens de subiecto prædicatur & de subiecto est. Sed D. Thomas aliter explicat. Cum enim Aristoteles disiunctione vtatur, aliquid per vtramque partem insinuasse videtur. Dicendum igitur est, quod cum Aristoteles dicit: verbum est nota eorum quæ de altero prædicantur non intelligendus est ita vt verbum significet prædicatum: quin potius ipsa verba sunt quæ fere semper prædicantur. Est igitur vera intelligentia, verbum esse signum eorum quæ prædicantur: quia omnis prædicatio fit per verbũ ratione coniunctionis & vnionis importatæ per verbum, siue seipsum vniat vt Petrus currit, siue aliud prædicatum vt Petrus est currens. Aduerte secũdo vt melius intelligas quid sit verbum esse notam eorum quæ de altero prædicantur. Ait enim Aristoteles: Ipsa igitur verba cum per se dicuntur nomina sunt, & aliquid significant. Et probat Aristoteles nõ quidem quod verba vere & proprie nomina sint, sed quia habent hoc commune cum nominibus quod est significare aliquid. Nam qui profert verbum v.g. Amo, aliquem mentis conceptum exprimit. Et qui audit similiter cõcipit aliquid. Et hoc est quod obscure dicit Aristoteles. Nã qui dicit mẽtem vtique affirmat, & qui audiuit quieuit. Quod explicat D. Thomas quantum ad primam operationem intellectus quod nihil aliud est quam concipere aliquid quod exprimitur verbo & percipitur audito verbo. Veruntamen si est

aut

aut non est aliquis amans non significatur sola prolatione verbi. Id quod confirmat, quia verbum solitarie prolatū non dum significat aliquid esse vel non esse. Sed significat quandam compositionem idest coniunctionem siue vnionē, quā sine coniunctis & vnitis non est intelligere. Et hic est legitimus sensus Aristotelis quem docet egregie D. Thomas, ibidem.

Occasione huius doctrinæ Aristotelis multa miscent moderniores de verbis adiectiuis & de verbo sum, es, fui, Quod à Grammaticis substantiuum vocatur. Nobis autē hoc vnū adnotare sufficiat. Siue enim verbum sit adiectiuum, siue substantiuum non eadem ratione dicitur substantiuum & adiectiuum qua nomen dicitur substantiuū vel adiectiuum. Nomen enim dicitur substantiuum quia reddit suppositum verbo & recipit informationem adiectiui, vt cum dico: Homo est albus. Adiectiuum vero dicitur verbum non quia vnitiue significet, sed quia vltra verbum, Est, quod significat id quod primo competit cuilibet rei importat insuper aliquid per modum adiacentis ipsi esse rei. v. g. Amo, significat actionē superuenientem in eo esse. Perinde enim est si dicas Petrus amat ac si diceres Petrus est amans. Nam verbum. Amat vtrūque virtualiter continet in vnitate conceptus & vocis. Habet itaque verbum Amat, & omne verbum adiectiuum virtualiter inclusum verbum, Est, cui per se primo competit vnitiue significare. Vnde & verbū Amat vnitiue significat, & seipsum vnit subiecto de quo dicitur. Similiter & verbū, Est, virtutē habet vniēdi seipsum subiecto dū aliud prædicatum non est, verbi gratia cum dico Petrus est. Sed vt melius intelligatur quomodo verbum sit nota eorum quæ prædicantur sic argumentor. In hac propositione, Homo non est equus, Verbum non vnit prædicatum cum subiecto, ergo positum in propositione non semper nota est eorum quæ prædicantur. Consequentia patet & probo antecedens, quia in illa propositione prædicatum disiungitur à subiecto siquidem negatur de illo: ergo non cōiungitur illi neque vnitur. Hoc argumentum soluitur negando antecedens. Et ad probationem dico dupliciter posse intelligi prædicatum disiungi & separari à subiecto vno modo separatione negationis Lectio. 16.

C ex

ex parte rei significatæ. Altero modo separatione destruente vnitatem propositionis, ita vt in mente non inuematur vnitas compositionis. Priore modo concedo antecedens, hoc enim in omni negatiua propositione inuenitur. Secundo vero modo nego antecedēs. Sēper enim in omni ꝓpositione vbi est prædicatum est vnitas orationis seu propositionis, siue sit affirmatiua siue negatiua, siue sit vera, siue falsa vt homo est equus, & Nullus homo est lapis. Et hoc est quod Aristoteles insinuat cum ait, consignificat quandam compositionem quam sine compositis non est intelligere. Ex quo infero, quod verbum significat aliquid aliqualiter, quatenus significat actionem vel passionem vnitiue instar dictionis syncathegorematicæ, cuius significatio sine alio adiuncto intelligi non potest. Nec propterea verbum syncathegorema esse dicendum est, nam syncathegoremata simpliciter nihil habent nisi significare aliqualiter. Hactenus de priore tractatu circa simplices orationis partes & terminos dicta sufficiant. Et ad secundum tractatum procedamus.

L I-

LIBRI PRIMI TRACTATVS SECVNDVS.

De oratione & eius partibus subiectiuis.

Caput primum.
De diffinitione Orationis.



ACTENVS de simplicibus dictionibus, quæ sunt integrales partes orationis diximus: nunc autem de ipsa oratione agendũ est. Et à diffinitione incipientes non nouam sed antiquam proponimus. Oratio est vox significatiua ad placitũ, cuius partiũ aliquid significatiuum est separatim. In huius diffinitionis explicatione pauca aduertenda sunt. Primo obserua in eo quod dicitur, vox significatiua, aliquam vnitatem in ipsa voce significante necessariam esse secundum complexionem partium inter se. Non enim quomodolibet proferas duas vel tres simplices dictiones orationem constitues, verbi gratia si proferas, Petrus, Quia, vel, non protulisti orationem: sed plures voces significantes non vt partes alicuius totius artificiose compositi: at vero si dicas; Homo albus, orationem protulisti, cuius partes sigillatim significant. Similiter si dicas: Velociter currit, aut Petrus & Paulus, orationẽ composuisti. Si vero dixeris, Petrus, Et, nõ est oratio. Ratio est, quia vere & proprie oratio est, quando saltem duæ dictiones ita proferuntur in voce vt vnum

 ordi-

ordinem rationis existentem in mente exprimant. Vnde necesse est, vt altera pars alteram determinet, vel aliquid circa illam exerceat, alias singulæ dictiones habebunt rationē totius & non partium. Nota secundo Aristotelem de industria dixisse, Cuius partium aliquid significatiuum est separatim, vt insinuaret complexum compositum ex cathegoremate & syncathegoremate, vt omnis homo, esse vere & proprie orationem, etiam si altera pars separatim non significet aliquid sed aliqualiter. Aliquando etiam potest fieri cōplexum & oratio ex vna parte materialiter sumpta & altera, significatiue. Vt, Homo vel Blitiri, imo ex duabus partibus materialiter sumptis cum aliqua coniunctione fit cōplexū. Cuius partes se repræsentāt quasi essent propria nomina sui, vt si dicas. Blitiri, vel, Sel, 3. aduerte in eo quod dixit Aristoteles, separatim non intendisse excludere rationē partis ita vt fiat separatio & quod antea erat pars sit modo totum sed intellexit, aliquid significat, separatim, hoc est, partialiter iuxta significationem totius. Et idcirco posuit exemplum in hac voce Sorex vbi pars illa, rex, non significat aliquid vt est pars illius dictionis & tamen si illam ita separes vt efficias totum quoddā proculdubio regē significat. Debet igitur considerari vt pars significans partialiter & separatim iuxta significationem totius. Nota quarto quod, cum Aristoteles adiecit, cuius partium aliquid significatiuum est, separatim, vt dictio, non vt affirmatio vel negatio, non intendit excludere orationē hypotheticā, idest, cōpositam ex orationibus perfectis à ratione & diffinitione orationis. Nā syllogismus oratio est vt postea libro 5. dicemus, & tamen partes eius significant vt affirmatio vel negatio. Sed legitima intelligentia Aristotelis est sufficere ad hoc vt sit oratio quod pars significet vt dictio: neque opus est vt significet sicut affirmatio & negatio. Et sic D. Thomas in lectione 6. libri 1. Periher. Soluit obiectionem cuiusdam Aspasij, qui obijciebat eam diffinitionem non conuenire omni orationi: nā syllogismus oratio est, & tamen partes significant vt affirmatio vel negatio. Ad quod argumentum duplicem solutionē assignat D. Thomas, alteram Porphirij asserentis hic tantū diffiniri simplicem orationem, alteram ex Alexandro &

Amonio,

Amonio, quod hic diffinitur oratio in communi, & idcirco debuit poni in diffinitione, id quod est commune simplici orationi, & compositæ, videlicet quod in omni oratione est aliquid significans per modum dictionis simplicis, quæ non est affirmatio vel negatio. Non tamen excludit possibile esse in aliqua oratione inueniri partem quæ significet vt affirmatio & negatio. Ratio autem quare Aristoteles adiecerit: Non vt affirmatio & negatio ea est vt ait D. Thomas, quoniam Aristoteles frequenter vtitur verbo, dicere pro, Affirmare, & ne quis putaret nomine dictionis ipsum affirmationem intelligere, adiecit, non vt affirmatio vel negatio. Ac si diceret non est necessarium vt pars orationis quæ dictio est significet vt affirmatio vel negatio. Ex dictis sequitur falsum fuisse Simplicium, quē D. Thomas Ioannem Grammaticum vocat in eo quod dixerit Aristotelem hic non diffinire nisi orationem perfectam: quia non videbantur ei partes dici posse nisi totius perfecti. Hoc autem falsum est, nam lapides sunt partes parietis antequam domus sit constructa. Denique obserua aliquando in simplici voce rationem orationis inueniri quatenus illa vox ex antecedentibus vel ex vsu exprimit orationem mentalem etiam perfectam, vt si interroganti, Quid faciam, respondeam, cogito, vel, studeo, subintelligitur enim, Ego. Et cum dicimus pluit, orationem perfectam mentalem exprimimus subintelligentes Deum, vel naturam, vt aiunt Grammatici. Aliqui tamen licentiose nimis extendunt hanc doctrinam asserentes hæc aduerbia, Semper, Vbique, Orationes esse: quia tantum valent in virtute ac si diceres, In omni tempore, In omni loco. Sed hac ratione etiam omnia verba adiectiua essent orationes: quia virtualiter idem est, currit, ac si diceres, Est currens.

Caput secundum, De multiplici diuisione orationis.



RIMA diuisio orationis est in perfectam, & in imperfectam. Perfecta oratio est, quæ perfectũ sensum in animo auditoris generat. v. g. Homo disputat, Petre curre. Imperfecta vero illa est, quæ imperfectum sensum in animo auditoris generat. v. g. Homo disputans. Manet enim suspensus animus audientis expectans aliquid aliud dicendum. Et in vniuersum omnes termini, quos moderni vocant complexos, orationes sunt imperfectæ, vt, omnis homo, equus rufus, Omnes autem orationes Imperatiui & Optatiui inter perfectas connumeramus, quoniam per eas perfectum sensum auditor concipit, ita vt nihil aliud expectet vt percipiat loquentis sensum vel affectum. At vero simplex oratio subiunctiui modi nõ est perfecta, verbigratia, si Petrus disputaret; & cũ disputarem. Si autem dixeris. Si Petrus disputaret efficeretur doctus, iã tota illa oratio perfectissima est.

Secunda diuisio est orationis perfectæ in enuntiationẽ, seu propositionem, & in orationem perfectam, quæ non est propositio, qualis est: Petre curre. Propositio, vel enuntiatio est oratio verum, vel falsum significans. Hanc appellat Aristoteles orationem enuntiauam: alias vero orationes quã tumlibet perfectas, in quibus non est veritas vel falsitas ad Dialecticum pertinere negat: sed Rhetoricæ vel Poeticæ considerationi relinquendas esse censet. Moderni Dialectici diffinitioni propositionis adijciunt particulam, Indicando. Sed ea particula superflua nobis videtur. In primis quia nulla simplex oratio significat verum vel falsum quin sit indicatiui modi. Deinde quia si propositio diffinitur vt commune genus respectu simplicis propositionis quæ dicitur cathegorica, & respectu propositionis hypotheticæ, non recte diffinitur cum additione illius particulæ, indicãdo. Quoniam hæc propositio, si Petrus disputaret, esset doctus significat verum vel falsum & non indicando.

Vt igitur diuisio quæ facienda est propositionis in Cathe

goricam & hypotheticam sit bona recludenda est illa particula, indicando à diffinitione propositionis, ex dictis sequitur falsum esse quod quidam ex nostris doctissimus dixit, quod quemadmodum omnes casus eiusdem nominis censentur idē nomen quia non differunt nisi in modo significandi Grāmaticali: ita omnes casus eiusdē verbi significant idē, & non differunt nisi secundū considerationem Grāmaticalem. Ex quo rursus quod peius est intulit, has orationes, Petrus disputat, Petre disputa, Petrus disputares idē significare: quia partes idē significant, & nihilominus solam primā esse propositionē, propter modum significādi indicatiui modi. Nos autem dicimus quod quamuis casus nominis & verbi nō differant quantum ad Cathegorematicam significationem, tamē modus ille significādi eādem rē nō solū pertinet ad Grāmaticam cōsiderationē, propter congruitatem sermonis, sed etiam ad Dialecticā quatenus ex illo differenti modo cōsurgit in cōpositione orationis veritas aut falsitas. Neque enim valet, illa consequentia, Partes orationis singulæ idē significant, ergo tota ipsa oratio idem significat. Nam partes harū orationū, Equus est homo, Equus est hominis, idem significant: & tamen ipsæ orationes nō idē significant cū altera sit vera, & altera falsa. Ratio huius est, quia veritas, vel falsitas quæ est in cōpositione non solū consurgit ex simplici significatione partiū, sed etiam ex compositione. Hoc documentum manifestius erit in sequētibus. Falsum igitur est modū significandi verū, vel falsum ad Grammaticalē considerationem pertinere: cum nihil sit magis propriū Dialectico vt Aristoteles insinuat, quam in oratione talem modum significandi considerare.

Deniq; circa modū significādi vere vel false siue verū, vel falsum aduertat nouitius Dialecticus, nō quomodolibet oratio significet verū vel falsum, statim propositionis rationē in ea inueniri. Nā hæc oratio. Verū vel falsum, significat verū vel falsum & tamē nō est propositio, Dicendū igitur est, significare verū vel falsum pro vt in diffinitione propositionis ponitur intelligēdū esse nō in actu signato, sed in actu exercito. Id quod Aristoteles insinuauit dicens. Est oratio in qua verum vel falsum est. At vero in illa oratione, ve-

rum vel falsum,non inuenitur, verum vel falsum, sicut in hac dictione Homo,quanuis significet hominem:non inuenitur humana natura.Et hoc est quod diximus orationẽ debere significare verum vel falsum in actu exercito,vt sit propositio. Nec sufficere esse signum veri vel falsi quod in alio est.Et quanuis verum vel falsum sit formaliter in compositione mentis,tamen quia compositio vocalis exprimit mentalem orationem,considератur quasi vna propositio cũ illa, & dicitur vera vel falsa ab eo quod res est vel non est.

Caput tertium De multiplici diuisione propositionis.



PRIMA diuisio enuntiationis seu propositionis ab Arist.facta libro 1.Periher.quã D.Tho. explicat lectione 8.est huiusmodi. Est autem inquit vna prima enuntiatiua oratio affirmatio,deinde negatio.Cæteræ vero omnes coniunctiones sunt vnæ.Hæc Aristoteles. Quibus verbis vt ait D.Thomas sub breuiloquio duas diuisiones enuntiationis complectitur.Quarum vna hæc est.Quædam enuntiatio est vna simplex,quædam est coniunctione vna. Altera vero sub diuisio simplicis enuntiationis est,in affirmationem & negationem.Et hanc diuisionem visus est Aristoteles priore loco collocasse:sed reuera prior diuisio est in enuntiationem simplicẽ & compositam.Et simplicem diuisit in affirmationem & negationẽ.Quare Moderni merito prius diuidunt propositionẽ,in cathegoricã & hypotheticam idest,in simplicẽ & compositam.Cathegorica est illa quæ habet subiectũ & prædicatũ & copulã tanquã partes principales sui. Vt homo est albus,homo disputat.Subiectũ quidẽ dicitur illud quod reddit suppositũ verbo & de quo aliquid affirmatur vel negatur.Prædicatum vero est illud quod de subiecto affirmatur vel negatur.Copula vero aliquando est distincta à subiecto & prædicato vt in hac oratione;Homo est animal: aliquãdo vero eadem copula est simul prædicatũ vt, Homo disputat. Verbũ enim adiectiuum significat vnitiue,& simpliciter conce

ptu prædicati locũ tenere poteſt & ſe ipſum vnire ſubiecto. Tales igitur propoſitiones appellantur cathegoricæ ideſt prædicatoriæ, quia in illis vnũ prædicatur de alio. Reliquæ vero vocantur hypotheticæ & ab Ariſtotele dicũtur coniũctione vnæ. Eſt itaque hypothetica non ſimplex affirmatio vel negatio, ſed conſtituta oratio ex duabus ſaltẽ cathegoricis aut ex duabus orationibus in quarũ coniunctione reſultet verũ vel falſum quanuis illæ non ſint veræ vel falſæ. Sit exemplũ, vtriuſque. Tota hæc oratio Petrus, diſputat & Paulus currit eſt vna oratio coniunctione, in qua eſt verũ vel falſum non ſolũ in ſingulis cathegoricis ſed etiã in tota hypothetica quæ denotat ſimul Petrũ diſputare & Paulum currere. Eſt alterũ exemplũ. In hac oratione, ſi Petrus volaret haberet alas, non inuenitur verũ aut falſum in ſingulis orationibus coniunctis, ſed in tota hypothetica, in qua ratione cõiunctionis reſultat vnum verum vel falſum. Diffinitio itaq; propoſitionis hypotheticæ non eſt præciſe cõponi ex duabus cathegoricis, ſed vel ex cathegoricis, vel ex alijs orationibus, quæ coniunctione adunatis continent verum vel falſum vt in exẽplo poſito reſultat vnum, verum imo & neceſſarium, ſi Petrus volaret haberet alas.

Occaſione huius diuiſionis quæſtio valde metaphyſica quanuis nõ aliena à Dialectico ſolet diſputari. An propoſitio ſit proprie genus vt diuiditur in cathegoricã & hypotheticã. Ratio dubitandi eſt, quia genus cũ diuiditur in ſpecies debet ſimpliciter conuenire ſingulis ſpeciebus ſicut animal ſimpliciter conuenit homini & cõuenit equo. At vero Hypothetica nõ eſt ſimpliciter propoſitio cũ non ſit ſimpliciter vna propoſitio, ſed ſecundũ quid ſcilicet coniunctione vná. Hanc quæſtionẽ diſputat D. Tho, vbi ſupra, & tandẽ cõcludit tres modos enuntiationis poſſe conſiderari: nam quædã eſt ſimpliciter vna in quantũ vnũ ſignificat. Et quædã eſt ſimpliciter plures in quantũ plura ſignificat, & ſecundũ quid vna in quantũ eſt coniunctione vna. Quædã aliæ ſunt quæ neque ſimpliciter ſignificant vnũ neque coniũctione aliqua vniuntur. Exemplum primi, Homo eſt animal. Exemplum ſecũdi, Petrus currit & Paulus diſputat. Exẽplum tertij, Petrus currit, Ioannes ambulat Paulus diſputat. Quæ tres pro-

positiones neq; in voce neq; in mēte cōiunguntur coniūctiōne subintellecta, alias cōstituerent vnā hypotheticā. Coniunctionē vero appellamus nō solū hāc dictionē, &, sed etiā omnē illā quā Grāmatici cōiūctionē appellāt vt, vel, si, Ergo, & aliæ quæ hypotheticā propositionē cōstituūt. Adnotat etiā D. Tho. Aristotelē quatuor posuisse differētias. Nā aliquando dicitur enūtiatio plures, quæ æquiuoca est, & multa significat absq; cō iūctione vt canis est substātia. Et hæc differētia cū alijs tribus suprapositis efficit quaternarium numerum.

De hac quæstione dicā breuiter ꝙ sentio existimo enim omnē ꝓpositionē hypotheticā si de vnitate artificiali formaliter loquamur esse vnā orationem & enuntiationē simpliciter loquendo, dūmodo sit vniuoca. Nam de æquiuoca constat secundū Aristotelē esse formaliter plures, licet materialiter, & Grāmaticaliter vna videatur. Neq; hæc sentētia est cōtra D. Thomā, vt aliqui eius verba superficialiter cōsiderātes arbitrātur. Pro cuius intelligentia suppono cōmune fundamentū. Res cōparatione diuersorū generum habere nunc vnitatē nunc pluralitatē. v. g. sex homines in genere substantiæ nō vnitatē sed simpliciter pluralitatem habent. Si autem considerentur sub genere quantitatis discretæ sunt vnū simpliciter quia sunt vnus senarius constitutus, sexta vnitate. Quo circa dixit Aristoteles: Bis tria non sunt sex. Vbi non loquitur materialiter, sed formaliter de senario, qui non cōponitur formaliter & duplici ternario, neq; ex quaternario & binario. Instar huius in præsenti dicimus de vnitate vel pluralitate orationis & propositionis. Potest enim oratio vel propositio dupliciter considerari, vno modo secundum esse reale, quod habet, altero modo secundū rationem significationis, verbi gratia hæc oratio, Homo albus, secundū esse reale & physicū non est vnū simpliciter sed duæ voces. Si autē consideretur secūdū significationē totius cōplexi vna oratio est & vnum signum ratione cōplexionis & cōiunctionis, quā inter se habent illæ voces artificiose coniunctæ. Sed contra. Partes illius orationis significant, ergo non est vnum signum simpliciter, sed duo signa. Respondetur, ꝙ etiam in signis est duplex consideratio. Possunt enim considerari, vt materialiter se habent ad compositionem tertij signi

signi artificiosam, ex qua resultat vnum signum simpliciter artificiose constitutum: de cuius ratione est, vt habeat partes materialiter, quarum quælibet sit signum, & nihilominus vnitatē habeat artificiosa cōiunctione, sicut domus habet partes artificiosas cōponentes vnū perfectum artificiū. Sic etiam hæc est vna oratio, Homo iustus est homo sapiēs, & tamen cōstat ex duplici oratione tanquā ex subiecto, & prædicato materialiter cōponentibus illam in qua est significatio veri vel falsi vnica, quæ non est in singulis partibus. Hinc ad vnitatem propositionis hypotheticæ intelligendā patet via. Nam quemadmodū homo iustus est homo sapiēs, est simpliciter vna oratio, sic est vna propositio, quanuis materialiter constet ex duabus orationibus: ita etiam hæc hypothetica, Petrus currit, vel Petrus non currit est formaliter vna propositio, quanuis materialiter constet ex duabus. Non enim illa propositio hypothetica dumtaxat significat duo vera vel falsa partialia, vel duo contingentia, sed insuper significat vnum verum necessarium simpliciter. Quod fieri non posset sine vnitate significationis totius. Similiter hæc propositio, Petrus currit & Petrus non currit, significat vnum falsum impossibile & tamen constat ex duabus propositionibus partialiter significantibus aliquid possibile. Et hæc conditionalis. Si homo volat habet alas significat vnum necessarium significatione totius & tamen materialiter est cōposita ex duabus propositionibus impossibilibus, sicut vice versa hæc propositio est impossibilis: Si Petrus est albus Petrus disputat, & tamen constat ex duabus propositionibus veris, ergo necesse est considerare vnitatē significādi in tota hypothetica ex artificiosa coniunctione cōsurgere: Neque D. Thomas contrarium sentire potuit, qui in 3. par. concedit sacramentum Eucharistiæ esse vnum sacramentum simpliciter quanuis constet ex duplici materia & duplici forma materialiter, quia vtraque pars constituit artificiose ex diuina institutione vnum signum spiritualis refectionis. Cum igitur inquit vbi supra, Hypotheticam esse vnam secundum quid inquantum est coniunctione vna intelligendus est loqui de vnitate simplicitatis, sic enim hypothetica non est vna simplex propositio sed secundum quid.

Sed

Sed si loquamur de vnitate artificiosæ significationis vnā est dicēda simpliciter propositio & vna oratio:sicut & syllogismus est oratio. Hæc nostra doctrina explicatur optimo exēplo. Siquis diuidat numerū in numerū simplicē & numerū cōpositū,& numerus simplex sit qui non componitur ex numeris,vt binarius & ternarius,numerus vero compositus sit qui componitur ex numeris vt quaternarius & reliqui, certū est reliquos numeros singulos esse simpliciter vnos quanuis componantur ex numeris nō autē habent vnitatem simplicitatis eo quod sunt cōpositi ex alijs numeris materialiter. Huic doctrinę cōsonāt verba Arist. libro 1. Periher. Lectione 8. apud D. Thom. Est autē enuntiatiua vna oratio aut quæ vnū significat,aut ea quæ coniunctione est vna. Plures vero ea quæ plura & non vnū significat, aut ea quæ caret cōiunctione: Hactenus de prima diuisione.

Altera diuisio cathegoricæ enuntiationis est in affirmatiuā & negatiuā vel in affirmationē & negationē vt loquitur Arist. Affirmatiua quidē est in qua prædicatū affirmatur de subiecto vt, Homo disputat. Negatiua est, in qua prædicatū negatur de subiecto. vt Homo nō disputat. Hæ diffinitiones seu potius etymologiæ notissimæ sunt etiā Grammaticis. Et quidē in cathegoricis de simplicibus extremis facile est discernere inter affirmatiuā & negatiuā. Sed vbi contingit inueniri in vna cathegorica duo verba, necesse est obseruare vtra sit principalis copula & respectu illius debet sumi iudicium de qualitate propositionis an sit affirmatiua vel negatiua. Est exemplum in hac, Petrus qui non currit est albus quæ simpliciter est affirmatiua quia principalis copula, quā coniungitur prædicatum subiecto non afficitur negatione. Alia vero copula cum suo relatiuo est pars subiecti, ac si diceres, Petrus non currens est albus. Sunt autem aliæ propositiones cathegoricæ in quibus sunt duæ copulæ æquales, verbi gratia, Petrus disputat & non est albus & huiusmodi dicuntur à Modernis mixtæ qualitatis formaliter & expresse, quia partim sunt affirmatiuæ & partim negatiuæ. Veruntamen eas rursus diuidunt in virtualiter affirmatiuas & virtualiter negatiuas. Virtualiter affirmatiua est, quæ per bonam consequentiam de se infert vnam pure

affir-

affirmatiuam vt illa Petrus non disputat, & est albus infert istam, ergo Petrus est albus. At vero virtualiter negatiua est quæ per bonam consequentiam infertur ex vna pura negatiua, v.g. hæc, Petrus non disputat vel est albus infertur ex hac. Petrus non disputat Ratio huius differentiæ est, quia proprietas affirmatiuæ enuntiationis est ponere aliquid in esse, sed negatiuæ proprietas est nihil ponere in esse: ergo propositio quæ de se infert vnã affirmatiuam merito appellatur virtualiter affirmatiua: quia si consequens ponit aliquid in esse necesse est vt antecedens id ipsum contineat, alias in bona consequentia daretur antecedens verũ & consequens falsum: siquidem consequens requireret plus ad sui veritatem quam antecedens. Rursus propositio quæ infertur ex vna pure negatiua censenda est virtualiter negatiua: quia cum antecedens nihil ponat in esse necesse est vt neque cõsequens ad sui veritatem amplius requirat quam antecedẽs, alias daretur antecedens verum & consequens falsum. Sed profecto huiusmodi propositiones ad hypotheticas facile reuocari possunt. Nunc autem de sola cathegoricæ propositionis qualitate cum Aristotele decernimus. De qualitate vero hypotheticæ propositionis prædicta regula obseruanda est, vt ea dicatur virtualiter affirmatiua, quæ infert vnam pure affirmatiuam, & ea dicatur virtualiter negatiua quæ infertur ex vna pure negatiua. Si autem loquamur formaliter de qualitate hypotheticæ certe Aristoteles non aliam qualitatem agnouit quam quæ est in cathegoricis. Nihilominus quibusdam modernis placuit eas hypotheticas affirmatiuas vocare quarum principalis copula non negatur, eas vero negatiuas quarum principalis copula negatione afficitur. Exemplum primi. Homo non disputat & equus non currit, affirmatiua est secundum illos, quia copula principalis quæ est coniunctio, &, non afficitur negatione quanuis vtraque copula cathegoricarum negetur. Exemplum secundi. Non omnis homo non disputat vel Petrus non currit est negatiua quia copula principalis, vel afficitur negatione posita in principio totus. Veruntamen hoc documentum falsum existimamus. Primo quia qualitas affirmationis vel negationis propria est copulæ verbalis. Deinde in exemplis positis

osten-

ostendo falsum esse quod aiunt. In primo quidem exemplo quia illa hypothetica copulatiua nihil ponit in esse, scilicet, Homo non disputat & equus nõ currit, imo æquiualet huic: Non omnis homo disputat, vel omnis equus currit, (suppono enim negationem ferri in totam hypotheticam) quam ipsi dicunt esse pure negatiuam, eo quod copula principalis, vel, negatur. Similiter in secundo exemplo est æquiualentia cum ista pure affirmatiua, Aliquis homo disputat & Petrus disputat. Etenim negatio illa posita in principio totius hypotheticæ mutat, vel, coniunctionem in, &, cum sit negatio malignantis naturæ vt postea videbimus: vnde illam particularitatem, vel, mutat in vniuersalitatẽ, Et, & hoc fortassis est quod moderni dicunt quod negatur illa copula seu coniunctio hypotheticæ videlicet quatenus negatio permutat illam quantum ad quantitatem, sed certe negatio non mutat qualitatem copulatiuæ vel disiunctiuæ per hoc quod attingat ad coniũctionem. Secus autem in hypotheticis illatiuis in quibus etiam si vtraque pars sit negatiua potest illa hypothetica dici affirmatiua vt ista, si homo non est animal, homo non est rationalis, affirmat esse bonam consequentiam quamuis vtraque pars negatiua sit. Et sic in huiusmodi hypotheticis habebit verum regula modernorum: nam & hęc propositio est negatiua, Non si homo est sensibilis homo est rationalis, quamuis vtraque cathegorica sit affirmatiua, sed sufficit quod negatio feratur in coniunctionem illatiuam, Si, Neque enim negatio negat hominem esse sensibilem neque negat esse rationalem, sed duntaxat negat bonitatem consequentiæ. Idem dico de ista; Non quia homo est risibilis, homo est rationalis quæ pure negatiua est: non enim negat hominem esse risibilem neque negat esse rationalem imo neque bonitatem consequentiæ, sed duntaxat causalitatem antecedentis supra consequens.

Denique de quantitate cathegoricarũ enuntiationum parum nobis nunc dicendum est. Considerant enim Dialectici tres differentes interrogationes fieri posse circa enuntiationem. Prima quidem Quænam sit enuntiatio? Et respondendum est cathegorica vel hypothetica. Secunda vero interrogatio est, Qualis sit propositio? Et respondendum est, Affirmati-

matiua vel negatiua. Tertia tandem interrogatio est, quanta sit enunciatio? Et respondendum est, Est vniuersalis vel particularis, vel indefinita, vel singularis. Vniuersalis quidē est cuius subiectum vel pars subiecti in fronte propositionis posita afficitur syncathegoremate vniuersali, vt omnis homo disputat, Nullus homo est albus, Cuiuslibet hominis Brunellus currit. Sunt autem signa vniuersalia, quæ distribuunt terminum communem pro singulis significatis pro quibus accipitur secundum exigentiam copulæ. Particularis vero propositio est, cuius subiectum est terminus cōmunis signo particularizāte determinatus, vt Aliquis homo currit, Alicuius hominis Brunellus currit. Indefinita autem est, cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus, v. g. Homo currit, Hominis Brunellus est albus. Singularis denique propositio est, cuius subiectum vel pars subiecti in propositionis fronte est terminus singularis vel communis determinatus syncathegoremate singularizante, v. g. Petrus currit, Petri equus currit, Hic homo currit, Huius hominis equus currit. Omnes istæ enuntiationes sunt singulares.

Cæterum vtrum quando subiectum siue sit terminus communis siue singularis supponit simpliciter vt in hac, Homo est species, sit dicenda illa enuntiatio vniuersalis, vel indefinita, in libro sequenti dicendum est, nunc autem existimo prædictam diuisionem esse intelligendam quando subiectum supponit personaliter. Hactenus de primo libro.

L I-

LIBER SECVNDVS, DE PROPRIETATIbus logicalibus quæ accidunt termino posito in propositione.

Tractatus vnicus.

Caput primum.



RISTOTELES Libro 1. Periher. post insinuatam qualitatē & quātitatem propositionum, statim accessit ad comparationem vnius propositionis cum altera secundùm oppositionē. Sed nobis visum est cū Modernis priùs de proprietatibus extremorum propositionis, quæ consequuntur ipsa extrema quatenus in propositione collocantur, in qua est acceptio & vsus terminorum, agere. Hæ proprietates sunt quatuor. Suppositio, Ampliatio, Restrictio, & Appellatio. Atqui in hoc primo capite de suppositione quid sit & quotuplex sit, dicendum est.

Notandum est in primis, acceptionem termini, esse aliquid vniuersalius respectu prædictarum quatuor proprietatum, non tamen dici proprietatem termini in propositione positi,

poſiti, quoniam acceptio termini nō aliud eſt, quam poni in propoſitione, & vniri verbo pro ſuo ſignificato. Nam extra propoſitionem ſignificat quidem omnis dictio, ſed extra propoſitionē, non accipitur, ſed cum eſt in illa & vnitur verbo pro ſuo ſignificato, tunc accipitur. Hoc ſuppoſito: ſuppoſitio ſic diffinitur. Suppoſitio eſt acceptio termini pro aliquo de quo verificatur. In qua diffinitione loco generis ponitur acceptio termini, loco vero differentię ponitur pro aliquo de quo verificatur. Contingit enim terminum accipi: quia vnitur verbo pro ſuo ſignificato, vt ſi dicas, Chimera currit, chimera accipitur, ſed non ſupponit pro ſuo ſignificato: quia nō verificatur de illo. Eſt enim verificari terminum quando res illa quam ſignificat, & pro qua accipitur exiſtit à parte rei ſecūdū exigentiā differētiæ tēporis importatæ per verbum. Vnde in hac propoſitione Antechriſtus fuit, ſubiectum quidem accipitur pro ſuo ſignificato: ſed non ſupponit pro illo, quia de illo non verificabitur ſecundū differentiam temporis illius verbi, fuit. Sed in hac, Adam fuit, ſubiectum ſupponit: nam accipitur pro Adam de quo verificatur, hæc enim eſt vera demonſtrato Adam ad intellectū, hoc eſt vel fuit Adam.

Definitio ſuppoſitionis.

Quid ſit verificari.

Nota ſecundo nouitiè, circa prædictam diffinitionem, nihil referre vel impedire, vt terminus dicatur ſupponere, ꝙ propoſitio in qua ponitur, ſit vera vel falſa. In hac enim propoſitione homo eſt lapis, vtrumque extremum ſupponit: quia vtrumque accipitur pro ſuo ſignificato de quo verificatur, ſcilicet, lapis de lapide exiſtēte, & homo de homine. Eſt tamen falſa, & impoſsibilis propoſitio illa: quia extrema nō poſſunt pro eodem verificari, quod eſt neceſſarium ad veritatem affirmatiuæ propoſitionis. Neque intelligas, cùm in diffinitione dicitur, pro aliquo de quo verificatur, eſſe neceſſarium, vt in ipſa propoſitione in qua ſupponit exerceat verificationem de ſuo ſignificato. Sed ſufficit, quòd poſsit, ſecundùm exigentiam copulæ illius propoſitionis actualiter verificari de ſuo ſignificato, oſtenſo per pronomē demonſtratiuum, Hoc, à parte ſubiecti, & prędicatum vel ſubiectum illius propoſitionis, homo eſt lapis, à parte prædicati, vt ſi dicas, hoc eſt lapis, demonſtrando aliquod ſignificatum lapidis.

pidis. Et vt in summa dicam terminũ verificari est verè affirmari de suo significato secundum exigentiam differentiæ temporis importatæ per verbum enuntiationis ostendendo pronomine demonstratiuo significatum termini. Sed caue ne in tali verificatione varietur aliqua de proprietatibus Logicalibus, vel contingat æquiuocatio, verbi gratia, in hac propositione homo est pictus, subiectum quidem supponit, sed si velis verificare subiectum ostendens imaginem hominis, & dicas, hoc est homo, æquiuocatio est: quia terminus homo per se sumptus stat pro famosiori significato. Quare verificatio illius subiecti debet ita fieri, demonstrata pictura, & dicendo, hoc est homo pictus. Similiter cũ dicis, homo est nomẽ, subiectum quidem supponit, sed quia materialiter supponit: non poteris verificare subiectum dicens, hoc est homo, sed verificabis, si dicas ostensa scriptura vel voce, hoc est dictio homo. Aduertunt etiam moderni, quòd cùm dicimus terminum accipi, & vniri verbo pro suo significato, intelligendum esse vel pro se ipso, ne excludamus acceptionẽ vel suppositionem materialẽ terminorum, qui pro se ipsis interdum vniũtur verbo ac si essent propria sui nomina, superfluum enim esset ipsis nominibus alia nomina imponere: nã per se ipsa in vsum enuntiationis veniunt, vt de illis aliquid affirmetur vel negetur. Vt. v. g. cũ dicimus, homo est dictio bisyllaba, nihil minus præstat ad rationem subiecti ipsamet dictio, homo, quã si imponeres illi nomẽ distinctum. Imò verò si res ipsę per se possent vniri verbo, frustra illis nomina imponerẽtur. Sed quia hoc per se ipsas præstare nõ possunt opus habent substitutis. In mente quidẽ conceptibus, in quibus sunt res in esse intelligibili, & exterius in vocibus aut scripturis, quibus & ipsi conceptus exprimuntur, & res ad placitũ significãtur. Quocirca proprius loqueremur, si diceremus voces supponi, & substitui pro rebus conceptis, quã cũ dicimus supponũt, sed loquendũ est vt plures, sicut & in multis alijs libenter scholę dictionẽ amplectimur.

Deniq; aduerte, nos etiã in diffinitione suppositionis modernis morẽ gerere voluisse. Etenim antiquiores duntaxat nomen substantiuum supponere dixerũt, adiectiuũ vero negauerunt supponere: Quanuis vniatur verbo pro suo significato

ficato de quo verificetur. Et ideo Petrus Hispanus in diffini tione suppositionis dixit, suppositio est acceptio termini substantiui, vt excluderet adiectiuũ. Nã vt supra ex doctrina D. Thomæ retulimus in capite de Nomine: Adiectiuũ nõ affert secum suũ suppositum, sed dum adiectiue accipitur, applicat suũ significatum formale ad suppositum substantiui. Quæ doctrina pro locutionibus in mysterio Trinitatis necessaria est, Nã D. Tho. 1. p. q. 39. docet falsam esse hanc propositionẽ, essentia generat, quia verbũ. Generat, est adiectiuum, neq; habet per se suum suppositum, alias esset vera illa propositio: quia faceret hũc sensum essentia est res generãs, quæ propositio Catholica est, cũ illa altera sit hæretica, quia in illa denotatur, quòd diuina essentia aliquid à se distinctũ producit. Sed de hoc aliàs. Nunc autẽ sufficiat nouitium Dialecticũ nosse differentiã loquendi de suppositione inter modernos, & antiquiores. Nos autem de suppositione non tam stricte loquimur, cũ dicimus in hac propositione, homo est alb⁹, extrema supponere pro eodẽ. Quia vniũtur verbo pro suis significatis de quibus verificantur. Si tamen strictius loqui velis de suppositione, dices subiectũ illud supponere, prædicatum verò non supponere, sed verificari. Neq; tamen hic intelligas nomine suppositi illud duntaxat quod substãtiale est, & per se subsistẽs. Non enim de physico supposito nunc loquimur, sed de re pro qua terminus accipitur, & plenarie substituitur: vt de illa possint affirmari vel negari quæ rei conueniunt, vel non conueniũt, siue actiones, siue passiones sint. v. g. hoc nomen, Albedo, supponit pro suo supposito, quia mediante hac voce poteris enuntiare de albedine esse intensam vel remissam, & disgregare visum. At hoc nomen, humanitas, quãuis significet naturã, quæ habet physicũ suppositum in quo subsistit, non tamẽ supponit pro illo, sed pro ipsa natura humana in abstracto, quæ est suppositũ Dialecticũ respectu illius termini, humanitas. Sed hic terminus, homo, propter modum significandi in concreto importat habentem humanitatem, tanquam physicum suppositum humanitatis, & etiam suppositum Dialecticũ, quia pro illo substituitur ad enuntiandum de homine actiones vel passiones sibi conueniẽtes. Ex hac doctrina poterit Theologus ratio

nem reddere, quare hæc sit vera, Pater generat, & hæc falsa, Paternitas generat, & hæc vera, Deus generat, & hæc falsa Deitas generat, cum tamē paternitas, & pater, Deus & Deitas ad inuicem verificentur. Nihilominus propter diuersum modum significandi, neque Pater supponit pro Paternitate neque paternitas pro Patre neque Deitas pro Deo, neque pro habente Deitatem. Vnde quia veritas enuntiationis: quæ est in compositione, consurgit in mente non solum ex identitate rerum in se ipsis, sed etiam ex compositione extremorum in intellectu nostro, hinc fit, vt illa sit falsa, deitas generat, & hæc vera, Deus generat. Hæc dixerim vt Dialecticæ præceptores aduertant quantum intersit ab initio in huiusmodi proprietatibus Logicalibus Tyrones erudiri ne postea in grauioribus disciplinis ignorantia Dialecticæ aberrent.

Caput secundum De diuisione suppositionis prima.



RIMA suppositionis diuisio est in suppositionem propriam, & in suppositionem impropriam. Suppositio propria est acceptio termini pro aliquo quod proprie significat. Vt, Leo, in hac enuntiatione, Leo est fortissimus bestiarum, supponit proprie. Suppositio vero impropria est acceptio termini pro aliquo, quod improprie significat. Vt in hac propositione. Vicit Leo de tribu Iuda.

Ad intelligentiam huius diuisionis explicemus quid sit significare propriè, & quid improprie. Vbi aduerte illa aduerbia proprie, & improprie, non determinare verbum significat quantum ad rationem formalem significandi quæ explicatur in diffinitione signi. Hæc enim ratio consistit in hoc quod res sensibilis præexistente cognitione sui aliquid aliud à se representet. Quocirca omne signum proprie significat secundum hanc rationem. Sed in præsenti diuisione, cum dicitur pro eo quod proprie vel improprie significat, intelli-

intelligendum est ex parte rei significatæ. Quando enim terminus accipitur pro re ad quã significandam ex primęua impositione institutus est, tunc dicitur accipi pro eo quod proprie significat. Quando vero accipitur pro aliqua re ad quã significandam propter aliquam similitudinem cum primæuo significato extenditur, tunc supponit impropriè pro re quam improprie significat: quia res illa improprie est id quod terminus ex primęua institutione significat. Et in hoc consistit, tota ratio improprietatis suppositionis. Ex dictis sequitur, hanc primam diuisionem suppositionis, non esse analogi in analogata, sed vtrumque membrum diuisionis est simpliciter, & vere & vniuoce suppositio: quia est simpliciter acceptio termini pro aliquo de quo verificatur. Quæri solet circa suppositionem impropriam, an omnis locutio figurata apud Latinos contineat suppositionem impropriam? Cui quæstioni breuiter occurrimus negantes vniuersaliter esse verum quod quæritur. In primis quia figurata locutio est apud Latinos, quæ fit per Onomatopœiam, quãdo prolatio vocum consonat cum re significata, vt cum dixit Vergilius, Clamorque virum clangorq; tubarum, & tamen hic nulla est impropria suppositio. Similiter Antonomasia figurata locutio est, & tamen nihil improprietatis habet, vt quãdo philosophus accipitur pro Aristotele, & Apostolus pro Paulo, ex accommodatione vsus, propter excellentiam rei significatæ, quæ inuenitur in Aristotele, & in Paulo. Neque enim hæc locutio destruit proprietatem suppositionis termini communis magis quam si diceres, hic philosophus, hic Apostolus. Reliquas vero figuratæ locutionis species Latinæ linguæ præceptoribus relinquimus.

Quæstio altera est, An suppositio impropria inueniatur in mente? Ad quam omnino negatiuè respondemus. Et miror viros alioquin doctos opinatos fuisse impropriam suppositionem in mentis conceptu posse reperiri. In primis probatur hoc esse impossibile quia per nullum mentis conceptum potest intellectus cognoscere, nisi rem cuius ipse conceptus expressa, & naturalis similitudo est. Neque enim conceptus ex instituto transferri potest ad aliquid aliud repręsentandum præter rem cuius est formalis & na-

turalis ſimilitudo. Deinde ſiqua via id fieri poſſet maximè mediante diſcurſu quo ex cognitione vnius ſolet homo moueri in cognitionem alterius, ſed hic diſcurſus nõ mutat prioris conceptus repræſentationem, ſed in alterum conceptum peruenit qui etiã naturaliter repræſentat id ipſum pro quo nomen vocale impropriè ſupponit. Exiſtimo autem idcirco falſos fuiſſe, qui oppoſitum opinantur: quia in huiuſmodi locutionibus improprijs intelligendis ſæpe vtimur phantaſmatibus rerũ quas ipſæ voces propriè, vel impropriè ſignificant. Et quidem ex comparatione vnius phantaſmatis cũ altero peruenimus ad formandum in mente vnũ conceptum connotatiuum qui formaliter & naturaliter repræſentat rẽ, quam vox impropriè ſignificare dicitur, connotando in quã reſpectum aliquem ſimilitudinis, vel proportionis ad rem quam exprimæua impoſitione eadem vox ſignificat vt. v. g. in illa locutione Vergiliana, Poſt aliquot, mea regna vidẽs, mirabor ariſtas. Vbi ariſtas accepit pro annis, quia quotannis terra opportuno tempore ariſtas profert. In qua locutione impropria intelligenda, vtimur phantaſmate ariſtæ annualis, & conſideramus ſingulis annis terram ariſtas producere, & inde formamus conceptum annorum non abſolutũ ſed cõnotatiuum propter affinitatem cum viciſsitudine productionis annalium ariſtarum. Hæc omnia breuiſsime exercet intellectus, & delectatur homo huiuſmodi locutionibus, magis quam ſi abſolute diceret Poeta. Poſt aliquot annos mea regna videns, mirabor. Et ratio eſt, quia valde naturale eſt homini diuerſarum rerũ cõparatione ſubobſcure aliud inuenire, quam primitus ipſæ voces repreſentent. Et idcirco huiuſmodi locutionibus frequentius Poetæ, ac Rhetores vtuntur vt auditores delectatione afficiant. Sed Philoſophos ac Theologos, multo autem minus Dialecticos figuratæ locutiones non decent. Quorum eſt veritatem ſyncere, & breuiter proprijs locutionibus aſſerere.

(?)

Caput tertium, de Diuisione suppositionis propriæ.



Impropria suppositione relicta quæ parũ ad institutũ Dialecticum attinet, deinceps propria suppositio diuiditur in materialẽ simplicẽ, & personalẽ. Suppositio materialis est acceptio vocis vel scripturæ pro se vt homo est nomen: vbi subiectũ nõ pro significato, sed pro ipsa voce significante accipitur. Quãuis enim voces proprie loquẽdo nõ significent se tamẽ hoc est illis peculiare vt taliter se repræsentent vt ipsismet in enuntiatione vtamur non minus, quã si essent nomina propria sui. Quẽ vsum etiã præstant voces nõ significatiuæ. Vt cũ dicis, *Blitiri* est trissyllabũ. Neq; talis suppositio dicẽda est impropria: est enim acceptio vocis pro eo ꝙ proprie repræsentat. Hanc suppositionẽ materialẽ ex antecedentibus, & sequẽtibus facile dignoscet Dialecticus. Suppositio vero simplex à quibusdã diffinitur cũ Petro Hispano acceptio termini cõmunis pro re vniuersali. Vt cũ dicimus homo est species in genere animalis. Sed hæc diffinitio alijs nõ placet: quia nõ conuenit termino singulari qui potest simpliciter supponere, vt in hac propositione Petrꝰ est indiuiduũ. Nobis etiã displicet illa diffinitio, non solum quia excludit terminũ singularem: sed quia non satis explicat rationẽ simplicis suppositionis, cũ inquit, est acceptio termini cõmunis pro re vniuersali. Est enim magis cõfusa hæc diffinitio quã diffinitum, nulla enim res est vniuersalis. Obid alij aliter diffiniunt, ita vt suppositio simplex sit acceptio termini pro eo quod primo & per se & formaliter significat. Aiunt enim nomen, homo, primo, & per se, & formaliter, non Petrum vel Paulum, sed hominem conceptu communi repræsentare: quãuis Petrum vel Paulum secundario, & materialiter significet. Sed fateor, neque hanc diffinitionem nobis placere, quia non minus quam præcedens obscura est. Deinde nam in hac propositione, homo est animal rationale, subiectum accipitur pro re, quam primo, & per se, & formaliter significat. Nam illud prædicatum est diffinitio hominis immediata, & adæquata, & non Petri vel Pauli, & tamen

Quid suppositio materialis.

Quid suppositio simplex.

men illa suppositio, nō est simplex, ergo mala est diffinitio.

Notandum est igitur, vt simplicis suppositionis diffinitionem legitimam designemus, quædam esse prædicata quæ dicuntur vel negantur de subiecto secundum id quod conuenit ei à parte rei, vt homo est albus, homo currit. Alia vero sunt prædicata quæ affirmantur vel negantur de subiecto secundum id quod conuenit significato subiecti, non prout est in re, sed prout est in intellectu. Vt cum dico animal est gen⁹, homo est species. Ista prędicata cōueniūt subiectis nō quatenus eorū significata sunt à parte rei, sicut cōuenit currere vel esse albū: sed quatenus subiecta cōcipiuntur proprio cōceptu. Quando igitur per prædicatū postulatur, talis conditio in subiecto, vt accipiatur secundū illā cōditionem pro suo significato, & non aliter, quā prout est in intellectu, tunc subiectū supponit simpliciter. Quocirca breuis & exacta diffinitio suppositionis simplicis ea est, suppositio simplex est acceptio termini pro suo significato prout cōcipitur proprio cōceptu. Ad cuius maiorē intelligentiā nota. Sēper quidē terminū quotiescunq; ille supponit accipi pro suo significato, mediante eius proprio cōceptu. sed nō semper denotatur prædicatū cōuenire subiecto quatenus res significata cōcipitur proprio conceptu. Vt cū dico, homo est albus, homo currit. Equidē cōcipio hominē proprio cōceptu, & adæquato. Sed nō denoto neq; affirmo rē significatā per prædicatū cōuenire rei significatæ per subiectū prout illa cōcipitur proprio cōceptu. Etenim homo curret, & erit albus etiā si nō cōcipiatur à nobis ꝓprio, & adęquato cōceptu. At vero cū dico animal est gen⁹, nō solū cōcipio rē significatā per subiectū suo proprio cōceptu, sed etiā denoto prædicatū ei conuenire quatenus sic concipitur, & non aliter. Hinc sequitur etiā terminū singularē posse simpliciter supponere vt in hac propositione Petrus est indiuiduū, vbi prædicatū affirmatur de subiecto postulans ad eius conueniētiam, vt subiectū concipiatur proprio, & singulari conceptu. Similiter in hac propositione Petrus est species quāuis sit falsa tamen subiectum supponit simpliciter, quia ex vi significationis prædicati denotatur prædicatum cōuenire subiecto prout concipitur singulari cōceptu. Et propterea illa falsa est quia species postulat

Quid sit simplex supposi tio.

sit significatũ subiecti cõcipi conceptu cõmuni ad multa indiuidua. Cũ tamẽ proprius cõceptus subiecti sit singularis.

Habemus igitur bonam esse diffinitionem hanc, suppositio simplex est acceptio termini pro suo adæquato significato prout concipitur proprio conceptu. Et ad hoc insinuandum tot particulas Moderni addiderunt dicentes esse acceptionem termini pro eo quod primo & per se & formaliter significat. Sed profecto per nullam harum particulam excluditur à suppositione simplici subiectum huius, homo est animal rationale. Cum tamen non supponat simpliciter, sed vt videbimus personaliter. Nostra autem diffinitione excluditur à suppositione simplici, quia prædicatum vt re vera conueniat subiecto non postulat tale fundamentum vt subiectum concipiatur proprio conceptu. Non enim homo est animal rationale, quia concipitur homo. Sed homo est species, quia concipitur proprio conceptu. Hoc enim habent termini secundæ intentionis, vt cum prædicãtur de alijs ea ratione prædicari denotentur, quatenus res significata per subiectum proprio conceptu concipitur. Et hanc habebis regulam: quotiescunque fuerit suppositio simplex subiecti, prouenit à prædicato secundæ intentionis.

Quid sit suppositio personalis.

Suppositio tandem personalis est acceptio termini pro indiuiduis vt à modernis diffinitur. Sed neque ista diffinitio legitima videtur. Nam excludit terminum singularem à suppositione simplici. Ille etenim non pro indiuiduis, sed pro vnico tantum potest accipi & tamen aliquando supponit simpliciter, cum prædicatum fuerit terminus secundæ intentionis postulans & denotans conuenire subiecto quatenus concipitur proprio conceptu & non aliter. Vt in hac propositione Petrus est indiuiduum alter supponit quam in ista Petrus currit. Nam ex ista optime licet colligere. Petrus currit & Petrus est homo, ergo homo currit. Ex illa vero non licebit inferre. Petrus est indiuiduum, & Petrus est homo, ergo homo est indiuiduum. Nam fit variatio suppositionis personalis in simplicem: nam prædicatum illud indiuiduum secundæ intentionis est, postulans & denotans subiectum quatenus proprio conceptu cõcipitur esse indiuiduũ. Talis igitur debet esse suppositio personalis, quæ excludat

simplicem suppositionem. Quidā modernus definit suppositionem personalem esse acceptionē nominis cōmunis pro suis mediatis significatis. Sed hæc diffinitio excludit omnia singularia à suppositione non solum simplici, sed etiam propria & probatur. Nam suppositio propria sufficienter diuiditur in suppositionem materialem simplicem & personalē. Sed in hac propositione, Petrus currit subiectum supponit proprie nō materialiter neq; simpliciter, ergo personaliter. Quā obrē suppositio personalis à nobis diffinitur acceptio termini pro singularibus significatis mediatis, vel immediatis absolute & secundū se. Sicut in hac homo currit accipitur pro singularibus mediate significatis. Sed in hac Petrus currit accipitur subiectum pro immediato significato. Sed contra: Etiā in hac propositione Petrus est indiuiduū subiectū supponit pro suo singulari & immediato significato, & tamē non supponit personaliter, sed simpliciter vt iā diximus, ergo mala est diffinitio. Respondetur propterea adiectā esse illam particulam absolute & secundū se hoc est prout à parte rei est, non prout cōcipitur proprio conceptu sicut supponit in hac Petrus est albus. Ex dictis sequitur superfluū esse distinguere aliam suppositionem personalē absolutā quę sit acceptio termini communis pro suo immediato significato non tamē præcise. Vt subiectum huius propositionis, homo est animal. Etenim suppositio illius subiecti vere & proprie est personalis, quia prædicatum non conuenit subiecto ea ratione, quia cōcipitur cōceptu communi. Quamuis enim illic cōmuni conceptu cōcipiatur non tamē vt sic est animal sed & realiter & ex natura rei homo est animal. Vnde necesse est, illā propositionē ęquiualere vniuersali, omnis homo est animal in qua subiectum pro omnibus singularibus supponit. Nō enim à parte rei inuenitur homo communis. Neq; quantūlibet homo concipiatur conceptu cōmuni distinguitur realiter à singularibus. Neque vere affirmabimus, homo communis realiter est animal. Hæc tamē vera est, homo qui cōcipitur cōceptu communi est animal. Omnis itaq; suppositio personalis absoluta est. Nihil enim aliud importatur per absolutā suppositionē quā quod nō sit acceptio termini cū reduplicatione proprij cōceptus rei significatæ. Hæc autem

tẽ inuẽtio abſolutę ſuppoſitionis ex mala intelligẽtia ſuppoſitionis ſimplicis ortũ habuit. Nã vt excluderent ſubiectũ huius propoſitionis, homo eſt animal à ratione ſuppoſitionis ſimplicis addiderunt illã particulã; non preciſe. Sed nos qui per intrinſeca diffiniuimus ſuppoſitionẽ ſimplicẽ, non opus habemus perſonalis ſuppoſitionis aliud mẽbrum diſtnguere ſiue prædicatũ conueniat ſubiecto pro immediato ſignificato ſiue nõ conueniat: dũmodo maneat ſubiectũ vt illic accipitur aptũ ad ſupponendũ pro perſonis & ſuppoſitis erit ſuppoſitio perſonalis. Et hoc pacto diſtinguemus poſtea ſuppoſitionẽ perſonalẽ in cõmunem & ſingularẽ & in alias ſpecies accidentarias, quæ cõſurgunt ex adiũctis ſyncathegorematibus. Sed quærit curioſus quare ſuppoſitio perſonalis à perſona denominetur, cũ tamẽ ſæpe nomina quæ perſonaliter ſupponunt nõ pro veris perſonis accipiãtur, vt in his propoſitionibus. Albedo diſgregat viſum, omnis quãtitas eſt diuiſibilis. Reſpondetur perſonalẽ ſuppoſitionẽ non à perſona proprie dicta denominari quæ eſt rationalis naturę indiuidua ſubſtãtia neq; etiã vt perſona nominat ſuppoſitũ naturæ ſubſtãtialis quod à Græcis dicitur hypoſtaſis: ſed accipitur vt importat ſuppoſitũ locutionis ſicut docet D. Tho. in 3. ſenten. d. 1. q. 2. ar. 5. ad. 4. Hoc enim modo hoc nomẽ albedo accipitur pro ſuis ſuppoſitis, ſcilicet pro hac albedine & illa albedine. Quæ ſingulares qualitates ſuppoſita ſunt illius termini communis logice loquẽdo de ſuppoſito reſpectu albedinis in abſtracto ſignificatæ.

Cap. IIII. De diuiſione perſonalis ſuppoſitionis in naturalem & accidentalem.



Ertio diuiditur perſonalis ſuppoſitio in naturalẽ & accidentalem. Suppoſitio naturalis eſt acceptio termini pro omnibus pro quibus natus eſt accipi, vt in hac ꝓpoſitione: Homo eſt animal rationale. Ita diffinit Petrus Hiſpanus & conſentiunt omnes moderni. Quidã adijciunt vt ſit acceptio nominis cõmunis, intendẽtes à naturali ſuppoſitione excludere

cludere imo & ab accidētali nomina ſingularia, ſed falluntur quia differentia eſt, in his duabus propoſitionibus. Petrus currit & Petrus eſt homo, nam in altera ſubiectum ſupponit naturaliter & in altera accidentaliter, & idcirco illa eſt vera Petrus eſt homo etiam non exiſtente Petro in mundo & altera falſa eſt, quia curſus nō poteſt conuenire Petro niſi exiſtenti ſecundum differentiā tēporis importati per copulā.

Quid ſit materia propoſitionum & quotuplex.

Sed antequam examinemus diffinitionem ſuppoſitionis naturalis operępretium eſt interponere diuiſionem quamdam materiæ propoſitionum quæ in tractatu de oppoſitionibus à quibusdam collocatur. Sed conuenientius hoc in loco proponitur. Notandum itaque: Propoſitionum triplicem eſſe materiam, ſcilicet naturalem, contingentem & remotam. Naturalis materia eſt quando prædicatum ſignificat aliquid quod eſt de eſſentia ſubiecti, vel proprium eius. Vt homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis. Hæ propoſitiones ſunt in materia naturali. Materia contingens eſt illa, in qua ſignificatum prædicati poteſt adeſſe & abeſſe ſignificato ſubiecti præter ipſius corruptionem vt homo eſt philoſophus. Remota materia eſt, in qua ſignificatum prædicati non poteſt conuenire ſignificato ſubiecti vt iſta propoſitio, homo eſt lapis, eſt in materia remota. Examinatio huius diuiſionis perfecta non pertinet ad inſtitutionē minoris Dialectici. Quare in pręſenti illa vtemur duntaxat vt explicemus diffinitionē naturalis ſuppoſitionis. Obſeruandū eſt enim nō eſſe idē dicere aliquā propoſitionē eſſe in materia naturali & extrema ſupponere naturaliter. Pro cuius intelligentia arguitur primò cōtra diffinitionē ſuppoſitionis naturalis. In hac propoſitione: Omnis homo poſsibiliter currit, ſubiectū accipitur pro omnibus pro quibus natū eſt accipi & tamen non ſupponit naturaliter, ergo mala eſt diffinitio. Probo minorē quia illa propoſitio eſt in materia accidentali cum prędicatum poſsit adeſſe & abeſſe ſubiecto præter illius corruptionem.

Arguitur ſecundo. In hac propoſitione: Nullus homo eſt lapis, ſubiectum accipitur & ſupponit pro omnibus pro quibus aptus natus eſt accipi, & tamē non ſupponit naturaliter, ergo mala diffinitio. Probo minorem, quia in eius contra-

dictoria homo est lapis non supponit naturaliter cum illa propositio sit in materia remota.

Arguitur tertio. In hac propositione homo est animal prædicatũ supponit naturaliter & tamen nõ accipitur pro omnibus pro quibus natum est accipi, ergo mala diffinitio. Probo maiorem nam supponit personaliter, & non accidentaliter: ergo naturaliter, alias mala esset diuisio.

Ad primum argumentum, Respondetur diffinitionem intelligendã esse de acceptione termini pro omnibus pro quibus natus es accipi, non virtute ampliationis, sed potius ex propria natura rei significatæ per subiectum cui intrinseca est res significata per prædicatum. In illa autem propositione. Omnis homo possibiliter currit prædicatum non habet intrinsecam conuenientiam, vel repugnãtiam cum subiecto: sed est indifferens. Vnde illa propositio neque est in materia naturali neque extrema supponunt naturaliter. Nisi forte aliquis velit dicere aduerbium, possibiliter, esse partẽ prędicati & totum prædicatum habere naturalem connexionẽ cum subiecto quæ fundatur in potentia naturali hominis ad cursum. Et quidem si ita esset quod aduerbium illud modale efficeretur pars prædicati, non dubitarem asserere subiectũ supponere naturaliter & propositionem esse in materia naturali. Veruntamen est cõtra communem sensum Dialecticorum negantium huiusmodi aduerbia modalia effici partẽ prædicati, sed duntaxat aiunt modificare vnionem copulę. Nam si efficerentur pars prædicati, istę propositiones non essent contradictoriæ: Omnis homo necessario currit, homo possibiliter non currit, quia non participarent in extremis vt postea in suo loco videbimus. Melior itaque est prior solutio.

Ad secundum argumentum nego minorem & ad probationem nego antecedens. Imo dico extrema harum propositionum homo est lapis, nullus homo est lapis, supponere naturaliter, non obstante quòd illæ propositiones sunt in materia remota. Id quòd fortassis alicui nouum videbitur. Sed ego sic ostendo esse necessarium quod dicimus. Nã suppositio personalis sufficienter diuiditur in suppositionem naturalem, & suppositionem accidentalẽ. Nemo enim ter-

tiam ſuppoſitionem termini adiecit, ſcilicet, ſuppoſitionem remotam: ſed neque adijci poteſt. Nam cum ſuppoſitio perſonalis debeat eſſe acceptio termini pro ſuo ſignificato, non propterea deſinit ſupponere pro omnibus ſuis ſignificatis, quia propoſitio ſit in materia remota. Aliàs pro nullo ſupponeret prædicatum, vel ſubiectum iſtius, homo eſt lapis. Et confirmatur. Nam ſi illa propoſitio affirmatiua impoſsibilis eſt, non eſt ratio, quia extrema non ſupponant, ſed quia non ſupponunt pro eodem. imo adinuicem repugnant ſupponere pro eodem: Quia propoſitio eſt in materia remota. Habemus igitur intentum, quod extrema illius propoſitionis; homo eſt lapis, ſupponunt pro ſuis ſignificatis non accidentaliter, ergo naturaliter: ac proinde pro omnibus ſuis ſignificatis. Non enim eſt maior ratio quare ſupponat pro vno quam pro alio. Confirmatur, quia illa propoſitio, homo eſt lapis, eſt æternæ falſitatis, ſicut ſua contradictoria, Nullus homo eſt lapis, eſt æternæ veritatis, ergo copula verbalis abſoluitur à tempore: ac proinde ſi extrema ſupponunt, neceſſe eſt vt accipiantur pro omnibus ſuis ſignificatis, aut pro nullo: ſed nō pro nullo vt oſtendimus, ergo pro omnibus ac proinde ſupponunt naturaliter. Ex dictis ſequitur, quod cum dicimus terminum naturaliter ſupponere quando accipitur pro omnibus ſuis ſignificatis nō ratione ampliationis, ſed ex naturali connexione extremorum, debet adijci, vel propter naturalem repugnantiam, quæ includitur in ipſa naturá rerum ſignificatarum per extrema. Nam tam naturale eſt homini non eſſe lapidem, ſicut eſſe animal rationale. Et ſicut iſte duæ propoſitiones. Nullus homo eſt animal, & homo eſt animal, ſunt contradictoriæ ac proinde extrema eodem modo accipiuntur pro ſuis ſignificatis, & affirmatiua eſt neceſſaria, negatiua impoſsibilis; ita etiam iſtæ duæ. Nullus homo eſt lapis, & homo eſt lapis, ſunt contradictoriæ & negatiua per ſe eſt neceſſaria & affirmatiua eſt per ſe falſa: ac proinde ſicuti in negatiua ſubiectum & prædicatum ſupponunt pro ſuis ſignificatis omnibus pro quibus termini ſunt apti nati accipi & pro illis redditur neceſſaria propoſitio: ita in affirmatiua extrema accipiuntur pro omnibus ſuis ſignifica-

ſica-

ficatis & pro omnibus illis ex natura extremorum redditur falsa propositio. Sequitur secundo, quod copula absolui tur à tempore non solum quando prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, vel proprietas eius sed etiam quando prædicatum habet naturalem repugnantiam cum natura rei significatæ per subiectum. Confirmatur nã hic syllogismus est demostratio: omnis homo est sensibilis, nullus lapis est sensibilis, ergo nullus lapis est homo. Igitur in minori copula absoluitur à tempore ac proinde extrema supponunt naturaliter. Probo conseq. quoniam alias illæ præmissæ essent inhabiles, quia mediũ in affirmatiua teneretur minus restricte quam in negatiua. Qui est defectus intrinsecus, vt vi debimus in tractatu de syllogismis. Sequitur denique verum esse quod diximus non æquiualere, terminum supponere naturaliter & propositionem in qua existit esse in materia naturali. Ratio est quia materia propositionum diuiditur ex parte rerum significatarum quatenus altera alteri naturaliter inest, vel naturaliter repugnat, vel indifferentiam habet. Et sic est triplex materia, scilicet naturalis remota, & contingens: At vero suppositio personalis in duo tantum membra diuiditur, scilicet in suppositionẽ naturalem, & suppositionem accidentalem. Suppositio autem naturalis termini respicit omnia significata illius pro quibus accipitur non ex vi ampliationis, sed ex eo quod copula absoluitur à tempore propter naturalem connexionem, vel repugnantiam inter extrema. De suppositione autem accidentali statim dicemus si prius tamen soluerius tertium argumentum.

Ad tertium argumentum respondetur. Prædicatum illius propositionis; homo est animal, naturaliter supponere, nam accipitur pro omnibus suis significatis. Sed inde non sequitur quod pro omnibus illis debeat verificari de subiecto. Aliud est enim terminum supponere pro omnibus suis significatis, & aliud propopositionẽ verificari pro omnibus illis. Quẽadmodum cũ dico homo est albus subiectum nõ restringitur, sed supponit pro singulis hominibus existẽtibus, nihilominus propositio nõ verificabitur nisi pro homine albo. Nã si restringeretur subiectũ pro homine albo hæc

esset

esset vera, omnis homo est albus. Esset enim sensus, Omnis homo albus est albus. Nam signum distributiuum omnis neque ampliat, neque restringit acceptionem termini, sed distribuit pro omnibus significatis, pro quibus terminũ inuenit supponẽtem. Sic etiẽ cum dico, homo est animal, vel omnis homo est animal; non opus est vt prædicatũ de subiecto affirmetur pro omnibus significatis per terminum animal, neque enim distributiue supponit prædicatum.

Iam vero de suppositione accidentali manifestior erit via vt eius diffinitionẽ intelligamus. Quæ tripliciter definitur, primo à Petro Hispano. Suppositio accidẽtalis est acceptio termini pro illis dũtaxat significatis de quibus verificatur secũdum exigentiã adiuncti verbi. Vt accipitur subiectum huius, homo disputat. Accipitur enim tantum pro præsentibus hominibus. Secunda diffinitio est aliorum modernorum. Suppositio accidentalis contingit vbi prædicatum non est de intrinseca ratione subiecti. Tertia diffinitio est, cuiusdã moderni. Suppositio accidentalis est acceptio nominis communis non pro omnibus suis significatis. Et ponit exemplũ in hac propositione homo iustus est probus. Omnes hæ diffinitiones videntur esse diminutæ. Prima quidem non videtur exprimere formalem rationem accidentalis suppositionis. Nam cum terminus duntaxat accipitur pro significatis, de quibus verificatur secundum exigentiam adiuncti verbi; aliunde prouenit huiusmodi limitatio. Quemadmodum cũ dico, homo est animal, subiectum supponit naturaliter pro omnibus suis significatis, neque coarctatur ad ea tantum significata quæ existunt secundum differentiam temporis præsentis, & hoc quidem prouenit ex comparatione extremorum adinuicem, quæ inter se habent, vel naturalem cõnexionem, vel repugnantiam; ita etiam in suppositione accidentali alicuius termini oportet considerare habitudinem prædicati cum subiecto, vnde prouenit quod subiectum accidentaliter supponat pro his tantum significatis de quibus verificari potest secundum exigentiam differentiæ temporis importatæ per copulam. Inde enim limitatur suppositio termini. Secunda vero diffinitio etiam videtur diminuta nam ex illa sequitur subiectum huius propositionis homo est lapis

pis supponere accidentaliter quod [illegible] est. Nam vt diximus copula absoluitur à tempore ratione rerum significatarum per extrema quæ habent intrinsecam & naturalem repugnantiam. Non igitur satis est dicere suppositionem accidentalem esse quando prædicatum non est de intrinseca ratione subiecti: sed oportebat adijcere, quando prædicatum potest cõuenire subiecto & nõ est de intrinseca ratione eius Tertia denique diffinitio in duobus deficit. Alterũ est quia non assignat rationem formalem, quare nomen supponat accidentaliter quando non pro omnibus suis significatis accipitur siquidem quantum est ex parte suæ significationis aptitudinem habet vt pro omnibus accipiatur. Secundo deficit quia excludit nomen singulare à suppositione accidentali cum tamen in hac propositione Petrus est albus subiectum supponat accidentaliter, non quia non accipiatur pro omni suo significato, sed quia astringitur vt solum accipiatur pro Petro existenti secũdum differentiam temporis importatam per verbum. Ac proinde non existente Petro etiã si sint alia alba pro quibus prædicatum accipitur erit falsa illa propositio affirmatiua quia est de subiecto non supponẽte. Accidit itaque illi termino ita coarctari propter acciden talem conuenientiam prædicati cum subiecto. At vero quando aliquod prædicatum habet naturalem connexionem vel repugnantiam cum illo subiecto singulari non est quare negemus illum supponere naturaliter & accipi pro Petro siue existenti siue non existenti vt in his propositionibus Petrus est homo, Petrus est lapis. Nulla itaq; ratione nomẽ singulare debet excludi à suppositione naturali vel accidẽtali. Denique deficit autor illius diffinitionis etiam in ipso exẽplo quod inducit in hac propositione, homo iustus est probus. Nam in illa propositione copula absoluitur à differentia temporis, cum sit propositio per se & necessaria quia prædicatum est de ratione subiecti. Tametsi pars subiecti vtraque restringatur ab altera. Nam hæc restrictio partium ad inuicem non destruit naturalem suppositionem totius subiecti quod est terminus complexus. Vnde etiam non oportebat in diffinitione dicere acceptio nominis quia in rigore complexum non potest dici nomen. Ex dictis possumus

E colli-

diff° suppo accident.

colligere diffinitionem suppositionis accidentalis magis formalem & per intrinseca. Suppositio accidentalis est acceptio termini pro suo significato de quo verificatur secundum exigentiam verbi propter indifferentiam prædicati cum subiecto. In qua diffinitione includimus etiam terminum singularem & non excludimus communem. Item conuenimus cum Petro Hispano. Sed insuper explicamus formalem rationem seu radicalem vnde proueniat terminum accidentaliter supponere. Ex hac diffinitione & alijs assignatis sequitur quod quotiescunque subiectum supponit accidentaliter etiam prædicatum debet supponere accidentaliter. Et quotiescũque supponit naturaliter debet etiã prædicatum naturaliter supponere. Nam vtrumque extremum eximitur à differentia temporis importata per verbum. Sequitur tertio quod quotiescunque propositio est in materia contingenti extrema supponunt accidẽtaliter quia vtrumque extremum astringitur differentiæ temporis importatæ per verbum. Sequitur quarto. Quotiescunque propositio est in materia naturali extrema supponunt naturaliter non tamẽ vice versa. Nam cũ propositio est in materia remota etiam tunc extrema supponunt naturaliter pro omnibus suis significatis vt iam explicatum est.

Sed quærit Logicus aut metaphysicus. An hæc propositio animal est homo sit in materia naturali & extrema supponant naturaliter. Pro parte negatiua est argumentum quia prædicatum non est de intrinseca ratione subiecti quãuis non repugnet ei: ergo non est in materia naturali sed potius accidentali propter indifferentiam prædicati ad subiectum. Ac proinde extrema supponunt accidentaliter pro his tantum significatis quæ existunt. Sed in oppositum est quia hic syllogismus est demonstratio in Darapti, omne risibile est homo, omne risibile est animal, ergo animal est homo. Sed antecedens pro vtraque præmissa est necessariũ & æternæ veritatis: ergo & consequens. Non autem posset esse necessarium animal est homo nisi copula absolueretur à tẽpore: ergo illa proposito est in materia naturali & extrema supponunt naturaliter. Huic obiectioni Respondetur illã propositionem, animal est homo, esse in materia naturali & extrema

trema naturaliter supponere pro omnibus suis significatis quamuis illa propositio non reddatur vera & necessaria pro omnibus significatis subiecti. Non enim est propositio de omni. Sed sufficit quod prædicatum sit de intrinseca ratione alicuius animalis & in hoc sensu concluditur illa propositio syllogistice ex præmissis necessarijs & per se. Sed de hoc alias.

Caput quintum De reliquis diuisionibus suppositionis.



QVARTA diuisio fit à Petro Hispano suppositionis accidentalis in suppositionem communem & suppositionem discretam. Suppositio cõmunis est acceptio termini communis vt homo currit. Suppositio discreta vel singularis est acceptió termini singularis vel communis singularizati pronomine demonstratiuo. Vt Petrus currit, hic homo est albus.

Circa hanc diuisionem aduerte in primis potuisse Petrũ Hispanum personalem suppositionem accipere pro diuiso & non solum accidentalem vt includeret etiam naturalem in qua termini possunt supponere communiter, vel singulariter. Nam in hac propositione, homo est animal. Subiectum non minus communiter supponit quam in hac, homo est albus & in hac hic homo est animal non minus singulariter supponit subiectum, quam in hac hic homo est albus. Neque erat inconueniens suppositionem personalem dupliciter diuidi, primo in naturalem & accidentalem & secundo in communem & singularem. Nam respectu diuersarum rationum idem diuisum potest duabus diuisionibus substerni. Aduerte secundo, quam præter communem modum loquendi Dialecticorum diffinierint aliqui suppositionem accidentalem esse acceptionem nomis communis. Ecce enim Petrus Hispanus diuidit accidentalem suppositionem in communem & singularẽ

ergo non coarctatur accidentalis suppositio duntaxat ad nomen commune. Aduerte tertio nomen commune potest singulariter supponere non solum in voce sed etiam in mente dum adiūgitur illi syncathegorema demonstratiuū vel quomodolibet aliās restringatur nomen commune ad supponēdum pro vno tantum singulari. Vt si dicas hic homo currit, homo qui est Petrus disputat ille terminus homo in voce & in mente supponit singulariter. Denique ad intelligentiam huius diuisionis sufficit dignoscere inter terminum commu nem & singularem. Ille enim dicitur communis qui ex modo suæ significationis potest pro pluribus vniuoce accipi singularis vero qui ex modo suæ significationis potest vniuoce pro vno tantum supponere. Diximus ex modo suæ significationis quia sunt aliqui termini communes, quibus à parte rei naturaliter repugnat correspondere plura significata, qualis est hic terminus, sol mūd us, luna, qui sunt termini communes ex modo suæ significationis & pro vt à nobis concipiuntur. Et vniuoce supponerent pro pluribus si Deus crearet plures mundos & lunas. Sed maior difficultas est de hoc nomine Deus si pro vero Deo accipiatur, nā repugnat intrinsece ex parte rei significatę esse plures Deos. Est enim intrinsecum & essentiale Deo vt sit hic Deus. Nihilominus propter imperfectum modum nostri conceptus quo Deum concipimus confuse & non sicuti est dicunt esse terminum communem. Nā si per impossibile aliquis admitteret duos veros Deos eodem conceptu repræsentaret illos duos singu lares Deos. Quinta diuisio est secundum Petrum Hispanum suppositionis communis in suppositionem determinatā & confusam. Suppositio determinata est acceptio termini cōmunis vel indefinite sine signo vel cum signo particulari, vt homo disputat, quidam homo disputat. Suppositionem vero confusam ait esse acceptionem termini communis cū signo vniuersali vt supponunt extrema huius propositionis, omnis homo est animal & huius etiam tātum animal est homo, Rursus diuidit confusam suppositionem in distributiuam & confusam tantum. Confusa distributiua est acceptio termini distributi vt supponit subiectum huius, omnis homo est animal. Confusa vero tantum est illa acceptio ter mini confuse supponentis & non distributiue. Vt prædica

tum

tū huius: omnis homo est animal. Hæc Petrus Hispanus. Fateor tamē diuisionē prædictam & subdiuisionē distinctius & cōmodius fieri potuisse ad vtilitatē Dialecticæ disputationis sub hac forma. Suppositio cōmunis alia est distributiua & alia particularis. Suppositio distributiua est acceptio termini communis qui ab aliquo signo vniuersali sic afficitur vt vniuersaliter accipiatur pro omnibus suis significatis secūdū exigētiā copulæ, vt subiectū huius; omnis homo currit & huius Nullus homo est animal. Vbi etiā prædicatū distributiue supponit. Suppositio vero particularis est acceptio termini cōmunis nō distributi vt si dicas, homo est albus, quidā homo est albus. Sed hæc suppositio particularis est duplex. Alia enim est determinata & alia cōfusa. Determinata suppositio est acceptio termini ex parte cuius propositio pro vno tātū supposito verificari potest. Sic supponit subiectū harū, homo est albus, homo non est albus. Particularis vero suppositio cōfusa est acceptio termini ex parte cuius propositio nō postulat ad sui veritatē vnū suppositū, vt prædicatū huius, omnis homo est animal supponit cōfuse: quia illa propositio ad sui veritatē nō exigit prædicatū pro vno aliquo supposito accipi. Neq; enim poteris inferre ex hac propositione: omnis homo est animal, aliquod animal esse om nē hominē: nā prædicatū in illa vniuersali pro alio & alio supposito sigillatim potest respōdere singulis suppositis subiecti. Dixi potest respōdere, quia si aliquod animal determinatū fuerit omnis homo etiā illa erit vera, omnis homo est animal. Nō enim exigit sed neq; excludit eū suppositio est confusa, posse propositionē pro aliquo determinato supposito verificari: sed manet indifferēs, & idcirco cōfusa suppositio dicitur. Hæc omnia melius exēplis & exercitio intelliguntur, quā diffinitione cōprehēdātur. Quidā moderni voluerunt diffinire suppositionē cōfusam termini per hoc quod accipitur pro suis significatis disiūctim numeratis, vt si dicas omnis homo est animal, perinde est ac si diceres omnis homo est hoc animal, vel hoc animal vel hoc animal, sed hæc explicatio nō solum est inutilis ad veritatē propositionis vel falsitatē indagandā sed etiā cōfusior explicatio est veritatis illius propositionis collocādo pro prædicato totū illud disiunctū

 infini-

infinitũ. Quã õbrẽ nos diximus nõ opus eſſe ad ſuppoſitio-
nẽ cõfuſam termini deſignare immediatè aliquod ſignifica-
tũ particulare ad veritatẽ vel falſitatẽ ꝓpoſitionis indagãdã.
Sed aliũde incipiẽdũ eſt ad huiuſmodi indagationẽ, ſcilicet,
ex parte ſigni vel termini vnde cõfuſio prouenit. v.g. ſi veri
tatẽ huius, omnis homo eſt animal velis examinare, prius de-
bes ſingula ſignificata ſubiecti ſigillatim demõſtrare ſub hac
forma, hic homo eſt animal & iſte homo eſt animal: &c. &
tũc iã prædicatũ ablata confuſione verificabitur in ſingulis
propoſitionibus pro aliquo determinato ſuppoſito. Solẽt in
hoc loco Moderni numerare ſigna vel terminos à quib⁹ pro
uenit ſuppoſitio diſtributiua vel cõfuſa. Nã determinata ſup
poſitio manifeſta eſt vbi terminus cõmunis nullo ſigno affi
citur vel cũ aliquo particulari adiũgitur. Vt homo diſputat,
quidã homo diſputat. Signa itaq; diſtributiua vel Grãmati-
cis nota ſunt: v.g. omnis, nullus, nõ, nec, nemo, & cõiũctio, Et
ſi diuiſim accipiatur: Sicut in hac ꝓpoſitione Petrus & Pau-
lus eſt homo, In qua ſubiectũ nõ eſt totũ illud Petrus & Pau
lus: ita vt cõiũctio efficiatur pars ſubiecti, ſic enim eſſet falſa
propoſitio, nã fieret ſenſus, aliquid quod eſt Petrus & Pau-
lus eſt homo albus. Eſt itaq; ſubiectũ illius terminus cõmu-
nis cõſtãs ex duobus ſingularib⁹ diuiſim, ſupponit enim pro
Petro & ſupponit pro Paulo. Id quod in eius cõtradictoria
manifeſtius eſt. Petrus vel Paulus nõ eſt homo albus, quę ve
ra eſt, altero illorũ nigro exiſtẽti. Æquiualet enim huic. Ali
quid quod eſt Petrus vel Paulus nõ eſt homo albus. Et eius
cõtradictoria affirmatiua æquiualet huic, omne quod eſt Pe
trus vel Paulus eſt homo albus. Vnde falſa eſt in caſu poſito.
Si autẽ cõiũctio, &, copulatim acciperetur, ſicut in hac pro-
poſitione Petrus & Paulus ſunt duo homines, tũc totũ ſubie
ctũ eſt terminus ſingularis collectiuus & cõiũctio efficitur
pars ſubiecti. Iã vero obſeruãda ſunt documẽta circa officiũ

Documenta circa ſigna diſtribuentia.

ſignorũ diſtribuẽtiũ & cõfundẽtiũ terminos. Primũ documẽ
tũ ſit. Signa vniuerſalia affirmatiua habẽt diſtribuere termi-
nũ cõmunẽ immediatũ & cõfundere mediatũ, niſi forte aliũ
de impediãtur. v.g. in hac propoſitione, omnis homo eſt ani
mal, ſubiectũ accipitur diſtributiuè & prædicatũ cõfuſe. Si
autẽ præponas negationẽ eidẽ propoſitioni & dicas nõ om-

nis

nis homo est animal impeditur a negatione ne distribuat sub iectũ & ipsamet negatio impeditur à signo vniuersali affirmatiuo, ac proinde subiectũ manet determinate supponẽs & prædicatũ distributiue. Et hoc ꝓpter naturã negationis quã dicũt esse malignãtis naturæ: quia totũ quod post se inuenit destruit & eius oppositũ ponit. Secũdũ documẽtũ est signa vniuersalia negatiua distribuũt omnes terminos communes post se positos nisi aliũde impediãtur. v.g. Nullus homo est albus, subiectũ & prædicatũ supponunt distributiue. Sed in hac. Nullus homo nõ est albus prædicatũ supponit confuse nã æquiualet huic. Omnis homo est albus. Si autẽ dicas. Nullus homo est omne albũ subiectum supponit distributiue & prædicatũ cõfuse. AEquiualet enim huic, omnis homo albũ non est. Vnde sit tertiũ documentũ. Quotiescunque ablata negatione remanet aliquis terminus distributus respectu alterius determinate supponentis tũc apposita negatione aut signo negatiuo terminus distributus remanet cõfuse respectu alterius qui supponebat determinate qui positã negatione distributiue supponit. Quartũ documẽtũ si ablato signo vniuersali negatiuo superest aliquis termin? distributus respectu alterius cõfuse supponentis, tũc iterũ posita negatione terminus distributus trãsit in determinatã suppositionẽ: & terminus qui erat cõfuse, trãsit in distributiuã suppositionẽ respectu alterius supponẽtis determinate. Est exẽplũ. Si ab hac propositione, Non omnis homo est animal, auferas negationẽ, remanet subiectũ distributum respectu prædicati cõfuse supponentis. Si vero iterum adijcias negationẽ subiectũ supponit determinate & prædicatũ respectu illius distributiue. Ex dictis collige obiter, malã esse consequentiã à confusa ad determinatã suppositionem. Sed à determinata ad confusam bona est consequentia. v.g. si ex hac omnis homo est animal inferas ergo animal est omnis homo mala est cõsequẽtia, nam antecedẽs est verũ & consequens falsum. E cõtrario vero bona est cõsequẽtia v.g. aliquod animal est omnis homo, ergo omnis homo est animal. Nã plus requirit ad sui veritatẽ antecedẽs quã cõsequẽs. Sed de hoc inferius plura dicemus. Vltimũ documentũ sit. Quando vnum signum negatiuum fertur in alterum negatiuum inuicem se impediunt ita vt neutrius virtus vltra secundum signum transeat

Negatio est malignantis naturæ.

v.g. si dicas, Nōnullus homo est animal. Perinde est ac si vtrūque signū auferas à propositione. Manet enim subiectū determinate sicut & prædicatū, & propositio est affirmatiua. Si autē dicas, Nullus homo nō est animal subiectū quidē distribuitur & copula manet affirmata & prædicatū supponit particulariter confuse & tota æquiualet huic omnis homo est animal. ¶Præterea notāda sunt alia signa quæ à Dialecticis vocātur specialia cōfusionis. Quoniā speciale habēt interpretationē. Huiusmodi sunt Promitto, Requiritur, Peto Opto. Itē Necessario, Necesse est, & omnia aduerbia numeralia: vt, bis, ter, quater, &c. Quæ omnia terminū cōmune in quē ferūtur cōfundūt: ita vt ad veritatē propositionis nō requiratur determinatū vnū suppositū ex parte illius termini. v.g. Cū dico promitto tibi equū, nō determino aliquē equū singularē sed indifferēter promitto equū, quē dare voluero. Similiter cū dico, requiritur equus ad equitandū, nō designo aliquē equū: Nullus enim equus requiritur ad equitādū: quia sine quolibet equo signato poterit fieri equitatio. Similiter Petrus bis cātauit missam, & tamē nullā missam bis cātauit. Supponit enim cōfuse accusatiuus ille. In his exēplis & similibus cōfusa suppositio est illius termini in quē feruntur illa verba vel aduerbia. Quæ omnia cōmuni modo loquendi regulāda sunt. Sensus igitur illius propositionis. Requiritur equus ad equitādū, conditionalis est. si equitatio fit equo fit. Neque aliud requiritur ad veritatē illius propositionis quā bonitas cōsequētiæ. Et idē est iudiciū de ista, Necessarius est equus ad equitādū. Vnū tamē nō desinā aduertere circa verbū promitto, videlicet, nō valere cōsequentiā à determinata ad cōfusam, sicut neq; à cōfusa ad determinatā. Nō enim valet. Promitto tibi equū, ergo aliquē equum tibi promitto & hoc manifestū est. Sed vice versa nō valere cōsequētiā, videbitur alicui fortasse falsum. Sed re bene inspecta, verū apparebit. Et ratio est. Nā si ego habeā duos equos ex quibus Brunellū promitto, & Brunellus interim fortè moriatur, tūc antecedēs est verū, scilicet, aliquē equū promisi. Et tamē cōsequēs est falsum, promisi equū. Et probatur. Quia omnis qui promisit equū, obligat se dare equū. Sed mortuo Brunello iā nō tenebor dare equū, Nō enim fuit forma obligationis in

Signa speciatia confusionis.

com-

cõmuni, sed in particulari pro isto equo designato. Si autem sub hac forma promisissem, Promitto tibi equũ, proculdubio teneret, mortuo Brunello, adimplere promissum dando equũ. Tandẽ de relatiuorũ suppositione distributiua vel determinata vel cõfusa multa miscẽt moderni, quæ à latinę linguæ peritis mutuãda sunt. Nihilominus vt aliquid tẽpori cõcedamus, regulas quatuor ex Petro Hispano in mediũ proferã. Prima regula est. Relatiuũ generãs sensum copulatiuũ, vt homo qui est doctus disputat, æquiualet huic; homo disputat & ille est doctus. Dicitur illa ꝑpositio æquiualere copulatiuæ, quia illa formaliter est cathegorica, nã totũ illud, homo qui est doctus, est subiectũ respectu principalis copulæ, disputat. Aliã enim copulã adiũctã relatiuo vocãt copulã implicationis. Sed hæc aduertẽtia parũ vtilitatis habet. Nã cũ dicitur homo qui est doctus disputat, breuius & magis latine diceretur homo doctus disputat. Et vniuersaliter vbi inueneris talẽ copulã implicationis pone loco illius participiũ & nullã inuenies difficultatẽ ad ministeriũ disputãdi in oppositionibus enũtiationũ & in materia syllogismorũ. Secũda regula. Relatiuũ referẽs copulatiue suũ antecedẽs positũ in altera cathegorica, refert illud restricte pro eo pro quo antecedẽtis cathegorica verificari postulat v.g. homo est albꝰ & ille disputat facit hunc sensum & ille homo qui est albus disputat. Vtilitas huius regulæ est, vt intelligas nõ satis esse ad veritatẽ secũdæ cathegoricæ, loco relatiui poni antecedẽs, sed necesse est, vt cũ illa restrictione verificetur cathegorica relatiui. Tertia regula. Relatiuũ reciprocũ supponit sicut suũ antecedẽs sigillatim, vt omnis homo diligit se. Relatiuũ, se, supponit distributiue sigillatim: ita vt singulis suppositis subiecti distributi respõdeãt singula supposita relatiui. v.g. cũ designãtur singulares subiecti, iste homo diligit se iã relatiuũ etiã singularizatur, ac si dicas Petrus diligit Petrũ, Ioãnes diligit Ioanẽ, & in hac propositione, homo nõ est ipsemet, relatiuũ supponit determinatẽ sed sigillatim: ita vt ad idẽ suppositũ designatũ in subiecto referatur & singularizetur prædicatũ hæc etiã regula parũ vtilitatis habet. Nã latinæ linguæ periti de reciprocatione sui & suus certiora præcepta tradiderunt. Vltima regula. Relatiuũ nõ reciprocũ sup-

ponit eadē suppo[illegible]tributiua vel determinata vel cō fusa qua supponeret suū antecedēs, si eodē situ collocaretur. v.g. omnis homo disputat & ille docte loquitur dicūt relatiuū, ille supponere determinate. Sed profecto in communi vsu loquēdi illud relatiuum, ille, in illa copulatiua est quasi reciprocū: ac si diceres omnis homo disputat & ipsemet docte loquitur. Sed de huiusmodi plus satis dictum est.

Caput sextum De Ampliatione & restrictione.

Quid Ampliatio & Restrictio.

SEcunda & tertia proprietas logicalis est ampliatio & restrictio: de quibus quia ad inuicē opponūtur simul agendū est. Diffinitur itaq; Ampliatio, extēsio termini à minori ad maiorē suppositionē vel acceptionē. Restrictio vero est coarctatio termini à maiori ad minorē suppositionē vel acceptionē. Exēplū prioris diffinitionis sit, Homo possibiliter est iustus. Exēplū secūdæ, Homo iustus est Dialecticus. In priore exēplo homo dicitur ampliari. In secūdo vero restringi. ¶Pro harū diffinitionū intelligentia aduerte, nos de industria addidisse particulā illā vel acceptionē; quia vt terminus amplietur nō est necessariū vt supponat: sed sufficit, si accipiatur pro suo significato. Etenim subiectū huius Antichristus est vel fuit ampliatur, & tamē nō supponit. Et similiter in hac propositione, equus albus currit equus restringitur, etiā si nullus sit equus pro quo supponat. Nota secundò quòd cū in vtraq; diffinitione fiat cōparatio à minori ad maiorē vel à maiori ad minorē; necesse est designare aliquē statū suppositionis, respectu cuius maior vel minor suppositio reguletur. Vnde regula certa erit iudicādi, quæ nā sit ampliatio & quæ restrictio, ex copula præsentis temporis. Si enim terminus accipitur pro pluribus quàm acciperetur respectu copulæ temporis præsentis dicitur ampliari: si autē pro paucioribus dicitur restringi, vt in exēplis positis videre licet. ¶Vnde sequitur, totum illud subiectū, homo iustus, neque restringi neque ampliari, cum dicimus, homo iustus est sapiēs: quanuis homo restringatur pro iusto, & iustus pro homine restringatur. Sed totum complexum simul nō restringitur: sed accipitur pro omni suo significato respectu copulæ de præsenti. Sed est argumentum contra regulā. In hac propositione

tione omnis homo fuit albus prædicatum restringitur & tamen non accipitur pro paucioribus, quàm acciperetur respectu copulæ præsentis tēporis ergo nō est certa regula. Respondetur quod quāuis ex modo significationis & differētiæ tēporis verbi de præterito à parte post, neq; pro pluribus neque pro paucioribus restringatur prædicatū, quā copula de præsenti postulat, nihilominus quia differētia tēporis vt præteritū est, debet regulari per differentiā verbi præsentis tēporis: idcirco placuit meritò Dialecticis statū suppositionis termini cōstituere respectu copulę de præsenti: ita vt omnis alia differētia quæ nō includit præsentis tēporis supposita, cēseatur restrictio. Omnis autē alia acceptio termini quæ nō excludit supposita præsentis & insuper amplectitur alia alterius differētiæ tēporis, est ampliatio. Acceptio vero termini, quæ excludit vel nō includit præsentis tēporis omnia supposita, restrictio est. Ex quo sequitur quod in hac propositione, omne albū fuit nigrū, subiectū ampliatur: quia nō solū accipitur pro præsentibus albis, sed etiam vltra pro albis præteritis. At vero prædicatū, nigrū, restringitur: quia coarctatur ita pro præterito nigro, vt nullo modo accipiatur pro præsenti nigro. Sequitur secundo in hac propositione, omnis homo est & fuit albus, prædicatū restingi ab illa copula copulata, ita vt nō accipiatur pro quolibet albo pręsenti, sed pro illo tātū quod simul est albū & fuit albū. Subiectū vero ampliatur quia accipitur pro omni homine præsenti vel pręterito & pro omni illo distribuitur. Nō itaq; sufficit vt terminus amplietur quod accipiatur cū pluribus differētijs tēporis copulatim, sed requiritur quod disiūctim accipiatur pro omni illo quod est vel fuit aut est vel erit. Nota tertiò, duplicē esse ampliationē vel restrictionē. Alterā respectu pluriū suppositorū aut pauciorū, alterā respectu pluriū tēporis differentiarū. Illa conuenit tantū terminis cōmunibus: hæc vero etiā singularibus, vt in hac; Antichristus possibiliter est; Adā est vel fuit. Et vtraque suo modo potest dici maior vel minor suppositio, cum sit extensio termini vel coarctatio respectu sui significati proquo verbo vnitur. ¶ Denique tota difficultas diiudicādi in speciali quis nā terminus amplietur vel restringatur est in cognoscēdo quæ nā sint dictiones

siue

siue cathegorematice: siue syncathegorematicæ; copulatiuè: vel restrictiuę. Et quidem de restrictiuis nulla regula datur à Dialecticis, sed sola diffinitione restrictionis contenti sunt, relinquentes iudicium communi modo loquendi. At vero Ampliationis diiudicandæ non minus quàm octo regulas constituunt, quas etiā ad communem modum loquendi poterant remittere. Quā in re aduertat Dialecticus vbi fuerit obscuritas in modo loquendi, distinguendum esse an sic vel aliter terminus accipiatur: v.g. volunt Dialectici, quod verbū præteri tēporis ampliet ante se ad illud quod est vel fuit, & post se restringat ad illud quod fuit in aliquo tempore determinato, ita vt hæc sit vera, Adam fuit omnis homo. Nam antequam Heua creata fuisset erat omnis homo. Verum tamen quidam aliter concipiunt & videtur illis prædicatum distribui pro omni homine præterito. Similiter in hac propositione omnis homo fuit in arca Noe, aliqui concipiunt quod in aliquo tempore determinato verificabatur in tempore præterito quod omnis homo erat in arca Noe; reliquis hominibus suffocatis. Alij vero concipiunt omnem hominem siue præsentem siue præteritum aliquando fuisse in arca Noe. Et hæc est communis sententia modernorū. In huiusmodi ergo controuersia melius est distinguere & conuenire quàm contentionibus deseruire. Vnum tamen certissimum esse debet verbum præteriti temporis & verbum futuri temporis ampliare ante se terminos connotatiuos quantū ad formale significatum, vt si dicas, album fuit nigrū, nō est sensus quod aliquo tempore fuerit albū nigrum, hoc enim impossibile est: sed sensus est quod album quod est vel fuit album fuit nigrum; non pro eodem tempore determinato sed pro eodem vel pro alio. Similiter dicendum est de ista album erit nigrum & de ista iustus erit peccator. Volunt autem Dialectici quod etiam quantum ad supposita termini positi ante verbum pręteriti temporis, vel futuri fiat ampliatio, vt si dicas omnis homo erit albus, terminus, homo, accipiatur & distribuatuatur non solum pro futuris sed etiā pro præsentibus: ita vt illa propositio sit falsa nisi homines etiā præsentes sint futuri, & futuri albi. Et hic est communis modus loquendi modernorum Dialecticorum. Siquis autem aliter

ter senserit, melius erit in disputatione distinguere, quã proterue contendere. Iã vero de Ampliatione quatuor aduerbiorum, scilicet, Possibiliter, Impossibiliter, necessario, contingenter modales propositiones constituentium, suo loco dicendum erit: & similiter de ampliatione verborum incipit & desinit & de eorum Appellatione in lib. 4. decernemus quid sit sentiendum. Denique de verbis significantibus actũ animi interiorem ita manifestum est Ampliare vsque ad impossibilia, vt non opus sit prolixas regulas constituere. v.g. concipio Chimerã, desidero volare, significo hircoceruum, certum est ea verba ampliare acusatiuos quos regunt etiam vsque ad impossibilia videlicet ad id quod est, vel fuit, vel erit, vel, potest esse, vel imaginario est.

De Alienatione tandem vnum Verbum dicendum est. Est enim Alienatio distractio termini à propria ad impropriam acceptionem. Vnde quot modis contingit terminum improprie accipi, tot etiam modis alienatur. Hæc autem alienatio potest prouenire, vel ex prædicato, vel ex adiuncto, v.g. homo est pictus, alienatur subiectum à prædicato, vel si dicas homo mortuus sepelitur. Aliquãdo etiam ratione totius orationis & vsu loquendi, vt si dicas Petrus est quidam leo, alienatur nomen leo, vt accipiatur pro homine forti, vel crudeli. Hæc omnia ex cõmuni modo loquendi consideranda sunt. Sunt etiam quædam aliæ proprietates quæ ad restrictionem reduci possunt qualis est diminutio & remotio. Nã diminutio est detractio significati ratione termini adiuncti, vt si dicas AEthiops est albus secundus dentes. Neque tamẽ intelligas significationẽ termini, albus, minui: semper enim significat habentem albedinem: sed tamen ratione adiuncti non applicat suum formale simpliciter ad subiectum, sed dũtaxat ad illam partem expressam per adiunctam particulam secundum quid. Si autem dicas, Simia est homo secundum quid, iam est alienatio: quia distrahitur terminus à propria ad impropriam acceptionem. Remotio autem est detractio termini ab omni suppositione. Vt si dicas, homo irrationalis currit, efficis ratione adiuncti, vt homo cum illo adiuncto pro nulla re possit supponere, neque propriè neque improprie. Cum autem dicis, homo mortuus sepelitur, non remo-

Quid sit Alienatio.

uetur

netur homo omnino à suppositione:sed improprie supponit pro cadauere,tūc enim,mortuus, accipitur nominaliter pro eo quod in pręsēti vita caret quā antea habuerat.Si autē participialiter acciperetur, falsa est ꝓpositio.Nā ille homo qui est mortuus nō sepelitur quia nō manet suppositū:sed ꝑsona quæ mortua fuit.Hoc autē exceptionē habet in Chro Domino eo quod manet suppositū & ꝑsona quę fuerat vere homo. Et idcirco hęc ꝓpositio vera erat & catholica quādocius corpus sepeliebatur,homo mortuus sepelitur.Si tamē mortuus parcipialiter accipiatur vt sit Iēsus,hic homo mortuus fuit & sepelitur,verissima est.Probatur.Quia hæc persona siue hic filius Dei est vel fuit homo,qui mortuus est, & nūc sepelitur.Etenim filius Dei vere & proprie sepeliebatur propter vnionē personalē ad corpus, sicut filius Dei vere & proprie descendit ad inferos propter vnionē personalem ad animā. Quia igitur si mortuus participialiter accipiatur ampliat ad id quod est vel fuit sicut si diceres homo qui fuit,sequitur verā fuisse illā propositionē,hic homo mortuus, demonstrata persona filij Dei,sepelitur. Fateor tamē quod ex communi vsu loquēdi mortuus nominaliter accipitur nisi quādo adiūgitur cū verbo est vel fuit, vel,erit,vt si dicas homo est mortuus & Christus qui est in cœlo est mortuus pro nobis.Et Petrus erit mortuus.In quibus propositionibus Christus & Petrus propriè supponūt. Sed fortasse quæris,vtrum in hac propositione,homo moritur,subiectū supponat proprie vel improprie.Videtur enim esse impropriā suppositionē, quia prædicatū alienat subiectū,cū sit verbū præsentis tēporis importās priuationē vitæ,ergo nō potest prædicatū cōuenire subiecto proprie supponēti.Respondetur esse quædā verba præsentis temporis,quæ ampliant subiectum ad id quod est vel immediate ante hac fuit,sicut verbum,desinit.Tūc enim vere homo desinit quando non est,sed immediate ante hoc instans fuit.Et tale verbum est,moritur,quare hæc propositio vera fuit in sensu proprio in illo instanti mortis Christi, Christus moritur. Sufficit enim quod immediate ante hoc instans fuerit Christus. ¶Reliquū erat ad complementū huius materiæ de Amplicatione & Restrictione regulas & documenta statuere argumētādi ab amplo ad nō amplū,& à restricto ad non restrictum.Sed hæc omnia libro 3.dicemus.

Cap.

Caput septimum De appellatione.

VLtima proprietas ex his quę possunt accidere termino posito in propositione cōsideranda, est Apellatio. Cuius diffinitio est Appellatio est applicatio significati formalis vni⁹ termini ad significatū formale alteri⁹. Quę duplex est. Quædā est realis, & quędā rationis. Realis est applicatio accidētis realis ad formale alterius termini vt in hac propositione, Petrus est magnus logicus, in qua terminus ille, magnus sic accipitur vt magnitudo nō ad personam Petri in quātitate, sed ad logicā quæ in illo est denotetur applicari, Appellatio vero rationis est applicatio accidētis rationis, vt in hac, homo est species. ¶ Hęc sunt à Petro Hispano dicta & ab omnibus Dialecticis Modernis admissa. Pro quarū diffinitionū intelligētia necesse est, recolere diuisionē in libro primo factā de termino in absolutum & connotatiuū. Nā in diffinitione Appellationis in communi videtur insinuari nō cōtingere Appellationē nisi inter duos terminos cōnotatiuos. Nā si appellatio est aplicatio significati formalis vni⁹ termini ad significatū formale alterius, necesse est, vtrūq; terminū habere significatū formale & materiale. Id quod in exēplo posito de Appellatione reali, vt Petrus est magnus logicus, manifestū est. Nā tā, magnus, quā logicus, terminus connotatiuus est. Alter enim magnitudinē, alter logicā formaliter significat per modū alteri adiacētis, quæ est diffinitio termini cōnotatiui. At vero in Appellatione rationis nō est facile distinguere quomodo inueniatur applicatio significati formalis vnius termini ad significatū formale alterius: vt in hac, homo est species, prædicatū quidē terminus cōnotatiu⁹ est significās de formali accidēs rationis, quæ dicitur secūda intētio. At vero subiectū homo terminus absolutus est. Quomodo ergo verificabitur quod ad formale significatū illius prædicatū illud, species, applicet suū formale significatum, quod est accidēs rationis quod dicitur secūda intētio speciei. Nullo enim modo homo habet formale significatū cui possit applicari formale speciei. Homo enim hominē realē dicitur significare. Dicit enim significare naturā humanā seu humanitatem in supposito. Sed homini reali conuenire non potest: quia non inuenitur homo realis quin sit singularis, ac pro inde non erit species: rursus natura humana siue humani-

manitas non est species: non enim illa est quæ prædicatur de indiuiduis. Nullum igitur significatum formale habet ille terminus, homo, cui applicetur significatū formale speciei. Si autem dixeris, significatum formale illius termini, homo, esse quidem hominem realem, sed non prout est in se sed pro ut est in conceptu mentis; Cōtra quia iste terminus homo non significat hominem esse in conceptu mentis, aliàs esset terminus secundæ intentionis. Habeo igitur intentum non esse bonam illam diffinitionem Appellationis in communi datam, si quidem non conuenit appellationi rationis quæ vera appellatio est.

Explicatio Appellationis rationis. Pro intelligentia huius difficultatis memor esto eorum quæ diximus de suppositione simplici & naturali. Nunc autem notandum est in his tribus propositionibus, Homo est animal rationale, homo currit, homo est species, subiectum illud eundem conceptum habere in mente & idem significare: sed acceptio & suppositio diuersa est. Nam in hac propositione, homo est animal rationale, supponit naturaliter non solum pro homine secundum quòd immediate significatur per idem terminum & conceptum communem, sed etiā pro singulis indiuiduis possibilibus: & idcirco suppositio naturalis, est etiam personalis. At vero in hac, homo currit, subiectum illud supponit accidentaliter, propterea quod actio currendi contingentem conuenientiam habet cum re significata per subiectum: & illud prædicatum quando conuenit homini, idcirco conuenit: quia immediate actio currendi accidit Petro, & quia Petrus currit, homo dicitur currere, vel quia Paulus currit. Cæterum non quia Petrus est animal rationale vel risibilis: idcirco homo est animal rationale & est risibilis: sed potius vice versa, quia illa prædicata habent per se naturalem & intrinsecam conuenientiam cum homine: idcirco dicuntur de singularibus, quæ continentur sub ratione hominis. Iam vero in illa tertia propositione, homo est species, neque subiectum supponit naturaliter neque accidentaliter, quia non supponit personaliter, suppositio enim personalis est quæ diuiditur in naturalem & accidentale. Sed supponit simpliciter propterea quod accipitur ab intellectu, vt supponat pro suo immediato significato, taliter quod exclu

dat

dat ĩ prædicatione prędicati significata mediata, qualia sunt supposita singularia illius termini, homo. Nunc igitur cum in diffinitione Appellationis in communi dicitur, est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum formale alterius, intelligendum est de formali alterius termini eo modo quo formale significatum habuerit. Si enim fuerit terminus absolutus significatũ formale eius erit illud quod immediate & per se primo significat. Deinde debet intelligi de significato formali præcise, scilicet, excludendo significatum materiale eo modo quo materiale habuerit. Atqui per hanc doctrinam explicatur nostra difficultas. Nam homo cum sit terminus absolutus non aliud habet significatũ formale præter illud quod immediate & per se primo significat mediante conceptu communi, quem exprimit dum significat hominem verum & realem. Quando igitur tale fuerit prædicatnm vt virtute suæ significationis postulet rem significatam immediate per subiectum vt quatenus illo proprio conceptu concipitur subijciatur prædicato; tunc prædicatum applicat suum significatum formale quod est accidens rationis ad formale significatum subiecti. Itaque quanuis semper homo in propositione accipiatur mediante conceptu hominis tanquam conditione sine qua non supponit neque accipitur: tamen quando prædicatum est talis significationis, vt illam conditionem in formalitatem quodammodo conuertat, eo quod secundum illam præcise conuenire denotatur ipsi subiecto; tũc est vera appellatio rationis: quia est applicatio significati formalis rationis ad immediate significatum pro vt formaliter est in ratione secundum conceptum adæquatum rei significatæ. Hinc sequitur has propositiones esse falsas, Petrus est species, homo est genus, homo est differentia, quia illa prædicata non possunt conuenire talibus subiectis cum illa reduplicatione quatenus proprijs & adæquatis conceptibus concipiuntur. Hactenus de Appellatione rationis.

Iam vero de Appellatione reali cognoscenda & dignoscẽda duæ regulæ constituuntur. Prior est. Quando adiectiuũ ponitur à parte prædicati & substantiuum à parte subiecti non est appellatio sed sola applicatio adiectiui ad supposi- *Duæ regulæ de appellatione reali.*

F tum

tum substantiui, v.g. in hac propositione Petrus logicus est magnus non denotatur magnitudo conuenire Petro ratione logicæ si autem logicus concipiatur in hac propositione vt pars prædicati etiam si antecedat copulā erit vera appellatio vt si proferas Petrus, & quadam suspensione spiritus facta prosequaris, logicus est magnus, perinde est ac si diceres est logicus magnus. Secunda regula. Quando adiectiuum & substantiuū sunt à parte eiusdē extremi tunc adiectiuum appellat supra formale substantiui. Ex hac regula intelliges, quod in symbolo dicitur, & homo factus est. Nam subiectū illius propositionis nō est, homo, neque totum illud, homo factus; sed filius Dei vnigenitus, de quo præcesserat, Qui propter nos homines & propter nostram salutem descēdit de cœlis & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine & homo factus est. Vbi manifestum est illud complexū, homo factus, esse prædicatum, & participium, factus, applicare suum significatum formale non simpliciter ad suppositum substantiui, quod est filius Dei, sed ratione humanitatis. Et miror quendā modernum in suis institutionibus Dialecticis pro cōperto habuisse, hanc propositionē esse falsam, Christus est homo factus: quia substantiuū ponitur ante adiectiuum: Cū tamē in symbolo ponatur substantiuū ante adiectiuū à parte prædicati: & nihilominus illa propositio sit catholica, quā ille dicit ex vi verborū negari debere. Operæpretiū erit hic aduertere obiter circa terminū, homo, quòd quāuis ex modo suæ significationis sit terminus absolutus, tamē vt dicitur de filio Dei, talē habet acceptionē quantū ad proprietates Dialecticas, ac si esset terminus connotatiuus. Vniuocè quidē dicitur de nobis & de filio Dei; sed quia supposito filij Dei ex tēpore secūdū fidē catholicā vnita est humana natura, personis autē creatis humanę naturæ, vsq; adeò intrinseca est humanitas, vt illa destructa, destruantur personæ, & personis destructis, etiam in illis humana natura destruatur: id circo quando homo dicitur de nobis, omnino se habet vt terminus absolutus quantum ad Dialecticas proprietates quæ accidunt termino posito in propositione. At vero respectu filij Dei quantū ad istas proprietates Appellationis & Ampliationis perinde se habet ac si terminus esset

con-

conotatiuus. Itaque differentia non est in modo significandi ipsius nominis sed quantum ad proprietates quæ ex tali acceptione consurgunt. Hinc sequitur hanc propositionem esse veram, ostenso Christo, hic homo creauit Angelos, quia subiectum ampliatur quantum ad formalitatem importatam per terminum, homo, per inde atque in ista, iste equus claudus cucurrit velociter ante annos tres non enim erat claudus quando currebat. Sed sensus est, iste equus qui est vel fuit claudus currebat olim velociter. Similiter hæc propositio est falsa iste homo est factus, vbi, iste homo, tenet locum subiecti, & ratio est quia prædicatum adiectiuum applicat suum significatum formale ad suppositum substantiui & non ratione humanitatis. Sed hæ regulæ ex communi modo concipiendi corrigendæ sunt. Nam profecto si dicas, hoc album est intensum, demonstrato lacte, appellatio est: quia denotatur intensio significata formaliter per prædicatum conuenire subiecto ratione albedinis quod est significatum formale subiecti, & confirmatur esse veram illic appellationem. Quia hæc est mala consequentia, hoc album est intensum, demonstrato lacte, & hoc dulce est hoc album ergo hoc dulce est intensum & non alia ratione nisi quia variatur appellatio. Præterea de appellatione rationis solent aliæ duæ regulæ constitui. Prior est. Quando prædicatum est secundæ intentionis est appellatio supra primarium significatum subiecti prout concipitur proprio cōceptu, vt dictū est. Qualia sunt hæc prædicata, vniuersale, genus, species, diffinitur, diuiditur, & similia. Sed tamē limitāt hanc regulā, dummodo illa intentio significata per prædicatū sit de intentionibus quæ respiciūt res. Quæ limitatio ponitur ad excludēdā appellationē prædicati huius propositionis, homo est signū ad placitū: quia non applicat ad formale significatū subiecti, propterea quod illa intentio signi, respicit non rē sed terminū: ac proinde subiectum quanuis materialiter supponat, sed, supponit tamē quasi personaliter pro omnibus singularibus sibi similibus. Altera regula est terminus significans actum animi interiorem appellat supra proprium conceptum termini in quem fertur, v.g. hæc verba, significo, cognosco, desidero, volo, significant actum

animi interiorem ac proinde applicant suum significatum formale ad significatum accusatiui in quem feruntur secūdū proprium conceptum ipsius significati v.g. cognosco veniẽtem, appeto dulcem cibum, dicunt esse appellationem rationis. Sed tamen quanuis verba importantia actum animi interiorem appellent modo prædicto, vt concipio hominem, cōcipio album: tamen significantia actum animi interiorẽ pertinentem ad potentiam appetitiuam non videntur appellare supra proprium cōceptum rei significatæ per accusatiuū, aut quod idem est, supra rem prout concipitur proprio conceptu. Nam profecto qui desiderat honorem vel appetit cibum aut potum, non hæc appetit quatenus concipiūtur proprijs conceptibus. Neque sub hac ratione appetitus fertur in illud obiectum. Nam si sub ea ratione formali appeterentur, statim atque desiderantur, haberentur: quia iam sunt in conceptu & cognitione desiderantis. Potius igitur dicendū est, huiusmodi verba applicare suum formale significatū ad rē, quæ est obiectum sub ratione conuenientiæ ad appetentem vel desiderantem. Sed omnia hæc vt iam diximus ex cōmuni modo loquendi sapientum pensanda sunt. Denique circa nomina vel terminos numerales specialis difficultas est, An adiuncti nominibus substantiuis vel adiectiuis appellent supra supposita vel supra rationem formalem significatam per substantiuum. Cuius difficultatis resolutio vtilis erit futuris Theologis pro materia de Trinitate & incarnatione. De qua re tres regulæ solent à Modernis constitui. Prima est, nomen numerale primitiuæ speciei additum termino substantiali appellat vnitatem aut pluralitatem ratione formæ substantialis substantiui, sed si addatur adiectiuo, non numerat formas, sed supposita. v.g. si dicas, tres homines, nomen illud numerale numerat tres naturas humanas, si autem dicas tria qualia non numerat qualitates sed supposita. Hæc secūda pars verior mihi est & magis distincta quam prior. Cum enim dico, Petrus est vnus sciens vera propositio est. Non propter vnitatem scientiæ: quia potest habere plures scientias, sed propter vnitatem suppositi substantialis siue habeat vnam siue plures scientias. Si autem nomen numerale coniūctum cum adiectiuo numeraret duntaxat formam significatam

De appellatione numeralium.

tam hæc esset vera, Petrus est tres scientes si triplicem scientiam haberet. Similiter hæc esset vera, si vnica albedo inesset tribus hominibus, Isti homines sunt tres albi, ergo nomē numerale tantum numerat supposita dum coniungitur adiectiuo. Est itaque regula quantum ad secundam partem certissima. Ex qua sequitur quod cum in symbolo dicitur, nō tres omnipotētes, sed vnus omnipotens, nō tres æterni sed vnus æternus: nomen, omnipotentes & æterni non adiectiue sed substantiue accipiuntur à Theologis. Sed de priore parte regulæ non est tanta infallibilitas. Nam cū dico Petrus & Paulus sunt duo homines proculdubio non solum dualitatē cōstituo in humana natura, (quam regula appellat formam substantialem significatam per substantiuum) sed etiam & potissime assero dualitatem in suppositis. Non igitur tale nomen numerale numerat præcise formam substantialem significatā per substantiuū. Et cōfirmatur. Nā si Pater & filius & Spiritus sanctus assumerent eandem singularem naturam humanā (quod Theologi possibile esse dicūt) tunc hæc propositio esset vera; Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt tres homines. Probatur quia si essent vnus homo, essent vnū suppositum humanæ naturæ quod falsum est: quia rursus si essent vnum suppositum vel illud esset pater, vel filius, vel Spiritus sanctus (suppono enim quod in illo casu immediate fieret vnio ad proprietates personales diuinas sicut modo facta est immediate ad filium in proprietate personali. Vnde nō poterat designari hic Deus tanquam immediatum subsistens in humana natura. Similiter si verbum Diuinum assumeret duas naturas humanas sicut assumpsit vnā, sequeretur quod esset duo homines ac proinde duo supposita humanæ naturæ. Etenim homo importat subsistentem in humanitate. Sed de hac re in materia de incarnatione latius disputant Theologi. Nunc autem breuiter dicam meam sententiam. Existimo enim primam illam partem regulæ iuxta sententiam D. Thomæ multò aliter esse explicandam. Quam ego sic constituo. Nomen numerale primitiuæ speciei adiunctum substantiuo significanti substantiam in concreto numerat non solum supposita sed etiam formam vel naturam significatā, v.g. Petrus & Paulus sunt duo homines, non solum propter

dualitatem humanæ naturæ,sed etiam propter dualitatẽ suppositorum. Similiter in hac propositione. Pater & filius & Spiritus sanctus sunt tres Dij,non solum multiplicatur natura Deitatis sed etiam multiplicatur supposita. Sed falsa est, illa propter multiplicationem Deitatis. Cæterum in illo casu,si tres personæ assumerent eandem humanitatẽ satis probabiliter dicitur quod essent tres homines: quia tunc ille terminus homo licet non mutaret significationem,vt supradiximus,nihilominus quantum ad proprietates logicales, haberet se,vt se habent termini significantes accidens in concreto. Quibus terminis adiecto nomine numerali multiplicantur duntaxat eorum supposita: siue accipiantur illi termini adiectiue siue substantiue. Etenim vnus artifex est,etiam si plures artes habeat. Et duo homines essent duo artifices etiam si per diuinam potentiam vna eadẽque singularis ars in vtroque collocaretur. Obserua tamen hoc nomen, vnus, cùm dicimus. Pater & filius & Spiritus sanctus sunt vnus Deus,non tantum determinare vnitatem naturæ in abstracto,sed etiam vnitatem vnius Dei subsistentis in diuina natura. Quia hoc nomen Deus significat in concreto Deitatẽ. At verò cum dicimus vnus Deus;non determinamus vnitatem personarum. Quocirca regula à nobis posita intelligenda est determino numerali pluralis numeri: qui proprie numeralis est & numerum significat. Diximus item primitiuæ speciei, quia nomina numeralia deriuatiuæ speciei, qualia sunt,binus trinus, non sequuntur illam regulam. Fatemur enim Deum esse trinum & vnum. Trinum quidem propter Trinitatem personarum,vnum autem propter vnitatẽ Deitatis subsistentis. Nullatenus tamen dicemus Deum esse triplicem: quia triplicitas dicit multiplicitatem quæ simplicitati diuinæ repugnat. Cuius differentiæ nulla melior ratio assignabitur quam vsus loquendi sanctorum Patrũ & Theologorum,qui cognita rerum natura,ita locuti sunt de tanto mysterio. Vide quæ diximus super primam partem quæst. 36.art 4.dubio 1.

Aliæ duæ regulæ quæ à Modernis distinguuntur clariores sunt. Est enim secunda Regula. Nomen numerale additũ adiectiuo numerat supposita. Quam regulam nos extendimus

mus etiam ad ſubſtantiua connotatiua & ſignificantia formaliter accidens: vt artifex, doctor. Quorum exempla ſupra ſunt poſita. Tertia Regula. Nomen numerale denominatiuũ ſi adijciatur ſubſtantiuo ſiue abſoluto ſiue connotatiuo, appellat numerum duntaxat ſupra concretum ſubſtantiui. Et ponunt exemplum in hac, Deus eſt vnus & vnicus. Vbi intelligimus vnum concretum ſubſiſtens pro quo immediate ille terminus, Deus ſupponit non determinans perſonas. Item concedimus Deus eſt trinus, quia eſt tria ſuppoſita perſonalia. Sed profecto hoc ſecũdũ exemplum deſtruit regulam. Nam adiectiuum, trinus, eſt numerale deriuatiuæ ſpeciei & coniungitur cum ſubſtantiuo; Deus; & tamen nõ appellat numerum ſupra concretum ſui ſubſtantiui: ſed potius numerat ſuppoſita perſonalia, non autem immediatum ſuppoſitum prout ſignificatur illo termino Deus. Quamobrem multo melius nos diximus hæc documenta iuxta communem modum loquendi Eccleſiæ Catholicæ regulanda eſſe. Hæc de proprietatibus logicalibus dixiſſe ſufficiat.

LIBER TERTIUS DE MODO SCIENDI SIVE DISSERENDI.

Tractatus primus.

Caput primum.



AM doctrinæ ordo postulat, vt ad potissimũ Dialecticæ finē sensim accedamus. Hoc enim propriũ Dialecticæ est, omnibus alijs sciētijs modũ sciendi tradere. Neque tamē nũc de perfecto sciēdi modo tractationē instituimus: de hoc enim in postremo libro nostrarũ institutionum agendum est. Hic autem hoc tertio libro non eo rigore loquendi de modo perfectè sciendi, sed de via necessaria ad illum differemus. Nimirum de modo faciēdi perspicuũ quod mēte obscurũ est. Hic mod⁹ sciēdi diffinitur sic. Oratio alicuius ignoti manifestatiua dicitur modus sciēdi. Qui triplex est: Diffinitio; Diuisio; & argumentatio. ¶ Pro intelligētia propositæ diffinitionis & diuisionis nota primo orationē in diffinitione modi sciēdi loco generis collocari, quatenus indifferēter se habet ad orationē perfectā & imperfectā. Neq; enim omnis modus sciendi est oratio perfecta. Sed quidā modus sciēdi est imperfecta oratio, quidā vero perfecta. Sed est obiectio in cōtrariũ. Nā supra libro secũdo, oratio per se primo diuisa fuit in orationē perfectā & imperfectā, ergo nō potest iterũ diuidi per se primo in orationē, quæ sit modus sciendi & orationē quæ non sit modus sciēdi. Cōfirmatur quia modus sciēdi est per se oratio sicut homo est animal, ergo omnis modus sciēdi est oratio perfecta, vel omnis modus sciēdi est oratio imperfecta.

Diffinitio modi sciēdi.

Alias

Alias oratio in cõmuni immediate diuideretur duabus diuisionibus tãquã genus in species vel differẽtias. Hoc argumẽtũ solet aliquos nimiũ vrgere: sed profecto nõ habet tantum difficultatis quantũ in fronte promittit. Primo quidẽ quia huiusmodi diuisiones nõ sunt tã exactæ generis in species cõstitutas per differẽtias proprias cõtrahentes genus, sicut in prædicamẽto substantiæ solẽt fieri diuisiones. Cũ enim oratio diuiditur in orationẽ perfectã & orationẽ imperfectã, illæ differẽtiæ perfecti & imperfecti ab effectu accipiuntur. Quoniã perfecta perfectũ sensum generat in animo auditoris, imperfecta vero imperfectũ. Non enim perfectio illa & imperfectio formaliter cõstituit speciẽ orationis: sed importat proprietatẽ quandã, quæ orationi accidit. Omnis enim oratio perfectè & vniuoce habet orationis diffinitionẽ, quę nihil aliud requirit ad perfectã essentiã orationis, quã vt habeat partes per se significatiuas iuxta significationẽ totius: omnis itaq; oratio perfecte oratio est. Cũ autẽ dicitur quædã imperfecta, ex eo talis dicitur: quia nõ perfectum sensum generat in animo auditoris. Quamobrẽ nõ est incõueniens vt iterũ diuidatur oratio in modũ sciendi & in orationẽ quæ nõ est modus sciendi, nã alterũ mẽbrũ diuisionis non est per se species orationis, scilicet, nõ modus sciẽdi, cùm sit illa differentia mera negatio. Sed intẽtio Dialectici diuidentis orationẽ in modũ sciendi & in orationẽ quæ non est modus sciẽdi, est ex omnibus orationibus eligere eas quæ insignẽ vtilitatẽ præstãt ad scientiæ acquisitionẽ. Deinde etiã in diuisionibus quæ fiunt in prædicamento substantiæ aliquid simile accidit propter humanæ cognitionis imperfectionẽ. Nã primo diuiditur substantia in corporeã & incorporeã & rursus substãtia corporea diuiditur in viuentẽ & nõ viuẽtẽ, & deinceps substãtia viuẽs in sensitiuã & insensitiuã. Et nihilominus omnis substãtia incorporea est viuens & nõ cõprehenditur in aliquo mẽbro determinato diuidente substãtiã corporeã, in substãtiã viuẽtẽ & nõ viuentẽ. Vnde videbatur prius diuidẽda substãtia in viuẽtẽ & non viuẽtem, & rursus substãtia viuẽs incorporeã & incorporeã. Etenim substantia viuẽs vniuocũ genus est ad viuentẽ corporeã & incorporeã. At vero si ita descenderemus diuidẽtes rursus substantia corporeã

 viuen-

uiuentē in sensitiuā & insensitiuā, qualis est plāta, iā nō vltra poterat procedere diuisio ad substātias corporeas nō viuentes: ac proinde excluderētur à recta linea prædicamenti substātiæ, nisi iterū ascēderemus ad corporeā substantiā viuētē, & diuideretur in corporeā & immaterialē. Quia igitur prædicamētalis diuisio in vsum hominū fiebat placuit Aristoteli primo diuidere substātiā in corporeā & incorporeā & relicta incorporea, quæ nobis occulta est, descēdit ad corporeā viuentē: cū tamē ratio vitæ nō sit limitata ad genus corporis siquidē inuenitur perfecta in omnibus incorporeis substātijs. Hæc dicta fuerint nō pro tyronibus sed pro ipsis præceptoribus, vt nō tā exacte velint diffinitiones & diuisiones proprietatū Dialecticarū examinare: quæ sæpenumero dantur per accidētales proprietates & ab effectu. Iā vero altera particula quæ locū differētiæ obtinet quæ est alicuius ignoti manifestatiua, explicāda est. Nō enim quomodolibet aliqua oratio significet vel manifestet tibi aliquid quod ignorabas erit modus sciēdi; sed illa solū quæ per se & ex modo intrinseco significādi manifestatiua est alicuius ignoti, v. g. ignoras Episcopū ægrotare, & aliquis dicit tibi Episcop9 ęgrotat, tūc illa oratio nō est modus sciēdi: neq; enim per se manifestatiua est eius quod tu ignoras, magis quā si legeres illam scriptā in pariete. Si tamē aliqua via te certiorem reddit de ægritudine episcopi, hoc profecto nō ex se habet, sed ex autoritate dicētis. Et tūc in mēte modū sciēdi exerces si credis episcopū ægrotare. Hūc enim discursum mēte exerces. Iste qui dicit, episcopus ægrotat; est verax, neq; mētiēdi occasionē habet, ergo episcopus ægrotat. Ecce quomodo illa oratio ex modo suæ significationis & cōpositionis nō est manifestatiua ignoti. Deinceps prædicta definitio magis explicatur ex ipsa diuisione modi sciēdi, sunt enim mēbra diuisionis, quasi exēpla adæquata ipsius diffinitionis modi sciēdi. Diuiditur itaq; modus sciendi in diffinitionē & diuisionē & argumentationē. Nobis autē libet in primis de diuisione agere; idque nō immerito. Nā diuisio via est ad diffinitionem sicut & diffinitio ad argumentationem. Deinde quia omnem diffinitionem præcedit diuisio siue entis siue substantiæ aut quantitatis, vel reliquorum alicuius supremi generis. Quod si via per-

Modus sciēdi triplex.

perfectionis procederemus primũ locũ obtinebat argumentatio, secundum diffinitio, tertium diuisio. At quia nunc in Dialecticis institutionibus ab imperfectis ad perfectiora proceditur primum locum obtineat Diuisio. Triplex itaq; est modus sciendi. Cuius sufficientia hac via ostenditur. Nã ignotum aliquid esse dupliciter contingit, vno modo incomplexe significatum: & sic dupliciter potest ignorari, vno modo Quid sit: alio modo quotuplex sit. Et tunc tale ignotum diffinitione & diuisione manifestatur. v.g. ignoras quid sit triangulus & dicitur tibi: Figura habens tres angulos æquales duobus rectis. Hæc est diffinitio. Ignoras rursus quid sit angulus rectus, & dicitur tibi angulus resultans ex duabus lineis, quarum altera perpendiculariter super alteram cadit. Etiam hęc est diffinitio. Sed rursus ignoras quotuplex sit, & tunc diuiditur triangulus in suas species vel differentias & illa est diuisio. Deinceps ignoras vel dubitas aliquam enuntiationem vera ne sit aut falsa, & tunc argumentatione, ignorantia vel dubium excluditur. v.g. Dubitat quis an vita studiosa sit delectabilior, quam vitiosa. Tunc tali argumentatione manifestatur, illi, vitam studiosam delectabiliorem esse. Nam quod est conuenientius naturæ hominis, est ei delectabilius: sed vita studiosa est homini conuenientior, ergo delectabilior. Ecce sufficientiam diuisionis quia nõ est alius modus ignorandi ex parte ignoti. Veniamus iam rursus ad diffinitiones earundem specierum modi sciendi. Adhuc enim ignoras quid sit diuisio, quid diffinitio, quid argumẽtatio. Quę omnia singulis diffinitionibus manifestanda sunt.

Caput secundum de Diuisione.



EST itaque diuisio oratio rem per suas partes aut terminum per suas significationes distribuens. Vbi duplex diuisio insinuatur. Altera rei, altera multiplicis significationis nominis. Sed hæc secũda diuisio parũ aut nihil pertinet ad Dialecticum. Est enim Grãmatici considerare varias significationes nominum æquiuocorum siue à casu siue à consilio. Vt si dicas, Hominum alius viuus, alius pictus, vel

canis,

canis, alius est marinus, alius latrabilis; nullius rei diuisionē faciens, sed dūtaxat diuersæ significationes vnius nominis explicātur. Id quod prodesse solet Dialectico volēti diffinire canē. Prius enim debet æquiuocā vocē distinguere: & deinde diffinire rē significatā, de qua differere parat. Et hoc satis sit pro diuisione quid nominis. Circa diffinitionē diuisionis rei, quæ est oratio rē per suas partes distribuens, aduerte discipule quod aliquādo vocamus diuisionē totā orationē cōpositā ex diuiso & partibus diuidētibus: ita vt totū hoc appellemus diuisionē. v. g. Animaliū aliud rationale, aliud irrationale: vel animal aliud est rationale & aliud irrationale. Aliquādo vero dūtaxat orationē quæ cōtinet distinctim vel copulatim partes diuidētes, dicimus esse diuisionē. v. g. rationale vel irrationale. Seu aliud rationale & aliud irrationale. Et hic est proprior & formalior modus loquendi. Nā diuisio non est enuntiatio: sicut neque diffinitio, quanuis tam diuisio quam diffinitio enuntiationem possit constituere.

Nota secundo quod quia diuisio in partes semper est alicuius totius, necesse est vt sicut multipliciter dicitur totū, ita etiam & diuisio multiplex fit. Aliud enim est totum physicum quod componitur ex partibus essentialibus, de quarum neutra ipsum totū prædicatur. Sicut homo componitur ex corpore & anima rationali in quo diuidimus animam à corpore & corpus ab anima non quia realiter separatæ sint, sed intellectu distinguimus realem vnam partem ab altera vere negantes vnam de altera prædicari. Nam anima non est corpus neque corpus est anima. Aliud est totum mathematicum quale est continuū & quantitas discreta. Aliud dicitur totū integrale physicū vel artificiale. Vt homo diuiditur in caput in pectus & brachia & reliqua mēbra. Et domus in suas partes. Verū est tamen quod ista diuisio integralis annexa est diuisioni quātitatis, quæ per se primo diuiditur in partes integrales. Aliud est totū essentiale methaphysicū: & hoc est duplex. Aliud essentiale potentiale & aliud essentiale actuale. Essentiale quidē potētiale est quod diuiditur in ea quę nō actualiter sed in potētia cōtinet. Tale est genus quod diuiditur in differētias vel species quas cōtinet nō actualiter in sua essentia sed in potētia: sicut animal diuiditur per rationale &

irrationale & in hominem & equum & cæteras species. Deinde diuisio methaphysica & essentialis est quando diuidimus partes speciei quæ actualiter continẽtur in specie & in diffinitione eius, v.g. sicut in essentia hominis cõsideramus & diuidimus genus & differentiam quæ actualiter includuntur in homine, v g. consideramus hominem esse animal & esse rationale in quo non distinguuntur huiusmodi partes nisi ratione. Quæ tamen distinctio fundamentum habet in re. In huiusmodi itaque diuisionidus methaphysicis partes singulæ non distinguuntur realiter à toto: sed de illo prædicantur, vt homo est animal, homo est rationalis, vel etiã totum prædicatur de partibus vt homo est animal, equus est animal. Sed inter partes totius potentialis distinctio realis est, vt inter rationale & irrationale inter hominem & equũ. At vero inter partes totius actualis non est realis distinctio sed rationis tantùm, vt inter rationale & animal. Et quanvis differentia dicatur esse extra essentiam generis à Methaphysicis: non tamen sunt extra eius essentiam in potentia. Nisi enim genus specierum differentias in potentia contineret, neque in specie actualiter continerentur. Sed de hoc alias. Est denique aliud genus totius quod dicitur virtuale, quo maxime vtuntur Theologi diuidentes ratione diuinas in Deo perfectiones vel diuina attributa. Nam cum diuina essentia sit vna simplicissima perfectio non potest inueniri in Deo distinctio realis formalis, nisi formalis virtualis. In qua diuisione minima distinctio inuenitur inter partes tam inter se, quàm respectu totius propter summam simplicitatem diuinæ essentiæ: quæ per infinitam suã virtutem & perfectionem potest verè sed eminenter fundare nostras distinctiones rationis quas per distinctos conceptus inter diuina attributa facimus: Eas que distinctiones non absolute formales asserimus Thomistæ sed cum addito, virtualiter formales appellamus. Id quod sufficit vt sit distinctio rationis ratiocinatæ. Hæc non pro discipulis sed pro Dialecticæ præceptoribus breuiter insinuata sunt.

Nunc autẽ pro discipulis de illa specie diuisionis agamus in qua totum diuisibile communius est & communius prædicatur & in partes subiectiuas diuiditur. Subiectiuas dicimus,

mus, quæ possunt esse subiectū respectu totius quod diuiditur, Diximus etiam illud totū esse communius & prædicabile non determinantes essentialem prædicationem neque accidentalem neque vniuocam. Nam fieri potest quod subiectū diuidatur accidētaliter ratione accidentium. v.g. corpus aliud est albū, aliud nigrū, aliud medio colore coloratū. Diuiditur etiā ens in substantiā & accidens nō vt genus neque vt vniuocū sed vt analogū. De hoc itaque diuisionis modo tres cōditiones decernūtur à Dialecticis. Prima cōditio est vt singula mēbra sint inferiora respectu diuisi. Secūda cōditio vt omnia membra diuisionis simul sumpta adæquent & exhauriant confusionem diuisi. Tertia conditio. Membra diuidentia debent esse inter se opposita vel realiter vel suis rationibus formalibus. Istæ conditiones inueniuntur in hac diuisione. Animalium aliud rationale aliud irrationale. Nam animal superius quid est ad rationale & ad irrationale. Nam ad plura se extendit quam singula membra diuisionis. Item secunda conditio illic inuenitur: nam rationale vel irrationale simul adæquat diuisum & confusionem eius exhaurit, omne enim animal est rationale vel irrationale: & rursus omne rationale vel irrationale est animal. Tertia denique conditio in illa diuisione manifesta est, nā mēbra diuidentia inter se realiter sunt opposita: nullū enim rationale est irrationale nec vice versa. Diximus autem satis esse, si formaliter opponantur. Nam in hac diuisione. Bonorum aliud honestū, aliud vtile, & aliud delectabile, non necesse est vt mēbra realiter distinguantur. Virtus enim bonum honestū est. & valde vtile & delectabile: Sed ratio honesti formaliter distinguitur à ratione vtilis & à ratione delectabilis. Nā ratio honesti cōsistit in eo quod est bonū per se appetibile: ratio vero vtilis quatenus mediū est ad premiū: ratio vero delectabilis est consequēs ratione honesti, & studiosæ operationis. Sed tamē vice versa inuenitur ratio delectabilis sine vtili & honesto, sicut in fornicatione. Rursus ratio vtilis sine delectabili inuenitur in sumptione amaræ potionis. Imo etiam sine honesto vt in auaritia. Ex dictis sequitur hāc esse malā diuisionē. Animalū aliud homo, aliud bipes: quia rationale includit bipedē. Et rursus quia non omne animal est bipes vel rationale.

Tres conditiones bonæ diuisionis.

Solet quarta regula constitui à modernis, vt diuisio sit tantùm bimembris vel saltem reducibilis ad duo membra: sed ista conditio non est necessaria, quanuis bona diuisio determinata membra debeat continere. Nam diuisio quæ in infinitum procedit, non potest exhaurire confusionem diuisi: quia tanta confusio est in processu ad infinitum, quanta in toto diuiso. Qua propter præter omnem artem diuideretur homo per singula supposita quæ in infinitum possent multiplicari. Satis enim est ad Dialecticam vtilitatem nosse vltimam speciem, quæ diuisionem formalem non habet. Diuidi tamen potest materialiter in singularia indiuidua de quorum singulis prædicatur. Sequitur secundo diuisiones, quæ fiunt per contradictoria, minus esse vtiles ad exhauriẽdam confusionem diuisi, verbi gratia si dicas. Animalium, aliud homo, aliud non homo, Quia, non homo, nullam particularem rationem animalis dicit. Qua propter animal aut diuidendum est per species proximas vt si dicas, Animal aliud rationale aliud hinnibile, aliud rudibile, &c. sed quia species sunt fere infinitæ, hæc diuisio artificiosius reducitur ad duo membra, scilicet, rationale & irrationale. Quorum alterum potissimam speciem exprimit, alterum verò priuationem differentiæ illius speciei includit. Priuationem, inquam, quæ supponit aptitudinem in genere non in specie. Alias equus non esset irrationalis, quia ipse non est aptus habere rationem. Sed dicitur animal irrationale, quia secundum rationem animalis genericam intelligitur aptitudo ad rationem. Similiter etiam substantia diuiditur in substantiam corpoream & incorpoream. Vbi alterum membrum ponitur positiuum, non quia sit potissima species; sed quia nobis est notissima. Alterum vero membrum priuatiue importat substantias immateriales nobis minus intelligibiles nisi sub negatione corporis. Denique aduerte quod quando ex ignorantia differentiarum rerum, quæ sub diuisione totius prædicabilis poterant cadere, cogimur vti diuisione non solum priuatiua ex parte vnius membri, sed etiam contradictoria per negationem expresse significatam in altero membro: semper necesse est, vt diuisum repetatur in membris diuidentibus, verbi gratia in hac diuisione.

uisione. Corporum aliud sensibile aliud insensibile, necesse est, sic intelligere diuisionem ac si diceres, Corporum aliud est corpus sensibile, aliud corpus insensibile. Nam angelus videtur esse insensibilis & tamen non est corpus: Ac proinde membra non essent inferiora respectu diuisi. Poterat tamen quis negare Angelum esse insensibilem sicut non est irrationalis, propterea quod hæc adiectiua non solum dicunt negationem sed aptitudinem in immediato genere. Sed quãdo diuisio fit per contradictoria membra tunc omnino in altero necesse est diuisum comprehendere. Vt v.g. si in proposito dicas. Orationum alia est modus sciendi & alia est non modus sciẽdi. Necesse erit subintelligere alia est oratio quæ est modus sciendi & alia est oratio quæ non est modus sciendi. Aliàs si, non modus sciendi, esset integrum membrum diuisionis, esset mala diuisio: quia alterum membrum, scilicet, non modus sciendi verificatur de nomine: quod tamen non est modus sciendi. Ac proinde deficeret prima conditio bonæ diuisionis, Hactenus de diuisione quæ est infimus modus sciendi, dicta sufficiant.

Caput tertium.

SECVNDO loco de diffinitione dicendum est quid sit & quotuplex sit. Diffinitio est oratio naturam rei aut termini significationem explicãs. Vbi statim duplex diuisio insinuatur, altera quæ dicitur Quid rei, quæ naturam rei distincte explicat: Altera quid nominis, quæ quidem duntaxat nominis significationem exponit. Quam quidem negamus simpliciter aut proprie diffinitionem esse. Et probamus. Primò quidem, quia quamuis hic modus explicandi conueniens sit & aliquãdo necessarium præambulum ad rei diffinitionem inquirendam, vt inquit Arist. lib. 1. Topicorum: tamen vt ille ait lib. 2, Post. cap. 10. non proprie diffinitio, sed interpretatio dicenda est. Cum enim quis dicit: Album est habens albedinem, significationem quid nominis interpretatur: nullius tamen rei differentiam aut proprietatem explicat. Sed qui dicit album est coloratum disgregatiuum visus, iam rei significatæ naturam

& pro-

& proprietatem manifestat. Neque obstat, quod simul etiã ipsius nominis significationem explicatius proferat. Non enim propterea dicenda est diffinitio Quid nominis, quia diffinitio quid nominis duntaxat hoc habet, vt nominis significationem explicet, neque vltra progreditur. Ad diffinitionem, Quid nominis, possunt reduci etymologię nominũ, vt lapis dicitur à lædendo pedem.

De diffinitione igitur Quid rei nobis differẽdum est. Circa cuius intelligentiam notandum in primis, hoc nomẽ, diffinitio, vel vt alijs magis placet, definitio vel finitio deriuatum fuisse in vsum Dialecticorum ab antiquiore significatione rerum, quæ secluso ordine ad orationem finiri vel diffiniri dicuntur. Aqua enim in vase pleno existens ab illo realiter diffinitur. Et vt Quintilianus ait, vt agrorũ fines agros definiunt & claudunt, aliosque ab alijs secernunt; sic definitiones, quibus rerum naturæ declarantur, essentias earũ circunscribunt, aliasque ab alijs distinguunt. Quamobrẽ sicut de Diuisione diximus, nomen diffinitio in priore significatione est primæ intentionis terminus: in secũda vero est terminus secundæ intentionis: sicut oratio quæ genus diffinitionis est, ac proinde definitum correlatiuum ipsius etiã est terminus secundæ intentionis. Et in hac significatione ipsa diffinitio diffinitur, vt sit oratio naturam rei explicans. Vt autem naturam rei proprijs finibus, quibus continetur oratio explicet, necesse est constare orationẽ ex genere & differentia. Et ratio est, quia cum omnis essentia de qua diffinitio desideratur, habeat aliquid in quo conueniat cum alijs, & aliquid quo ab eis distinguatur, consequens est, vt omnis bona diffinitio duabus saltem vocibus constare debeat. Et quidẽ vt Boetius ait, tractatu de diuisione, si omnes species suis nominibus appellarentur, ex duobus solum verbis omnis fieret diffinitio, hoc est si specierum differentiæ essent nobis notæ, duabus vocibus constaret diffinitio. Altera quidem quæ significet & exprimat conceptum conuenientiæ, altera vero, quæ differentiam ab alijs exprimat. Ac proinde genus diffinitionis dicitur oratio in quo cum alijs orationibus conuenit. Sed eius differentia ab alijs consistit in hoc, quod rei naturam de qua quæritur, Quid sit, suis proprijs fi-

 nibus

nibus distinctè complectitur. Nota secundo, id quod etiam de diuisione proportionabiliter aduertimus, nomine diffinitionis aliquando etiam apud Aristotelem intelligēda est dū taxat ipsa oratio, quæ de diffinito cōuertibiliter prędicatur. Vt animal rationale, quæ prædicatur de homine, sic ait 1. Periherm. c. 4. Ipsam nominis rationē diffinitionem ve, nisi vel est, vel erat, vel erit, aut aliquid tale addatur non esse enūtiationē. Et li. 2. poster. c. 3. inquit. In diffinitione nihil de aliquo prædicatur. Aliquando vero nomen, diffinitio, sumitur pro tota enūtiatione in qua diffinitū cōtinetur vt subiectū, vt homo est animal rationale. Docet enim Arist. 1. posteriorum cap. 7. & 2. Posterio. c. 10. diffinitionem aut esse principiū demonstrationis aut conclusionē aut totam ratiocinationē, sola verborum collocatione à demonstratione differētem. Itē 2. Posterio. c. 3. ait omnem diffinitionē esse vniuersalem & affirmatiuā. Et in hac acceptione ait Quintilianus diffinitionem esse rei propositæ propriam & dilucidā & breuiter comprehensam verbis enuntiationem. Prior tamen acceptio frequentius est in vsu Dialecticorum & ita nos vtimur in præsenti.

Tres conditiones bonæ diffinitionis

Nota tertio, tres cōditiones à Modernis Dialecticis bonę diffinitionis numerari. Prima cōditio est, vt cōstet ex genere & differētia. Genus dicitur aliquid superius & generalius in quo diffinitū cōuenit cū alijs. differētia vero est illa pars quæ explicat naturā rei, quatenus ab alijs contētis in illo superiori, distinguitur. Et de illo genere aiūt conuenire vt sit immediatū diffinito. Quod est dicere quod inter ipsum & diffinitū non mediet aliquid quod sit superius ad diffinitum v. g. Hæc non est bona hominis diffinitio: Homo est corpus rationale, quia inter corpus & hominē mediat corpus viuēs & rursus viuēs sensibile quod est animal. Secūda cōditio est, vt diffinitio distinctius significet, quā diffinitū. Tertia, vt diffinitio nō sit redūdās neq; diminuta. Sed profecto istæ duæ cōditiones superfluę nobis videtur, si prima exactè seruetur. Nā si diffinitio constat ex proprio genere immediato & ex propria differētia. statim fit cōsequēs, diffinitionē clarius significare quā diffinitū quod sub vno cōceptu cōfuso eādē rē significat. Tertia itē cōditio ex eadē prima cōsequitur. Vt ni

hil

hil habeat diffinitio superfluũ aut diminutũ. Quæ omnia in hac diffinitione, animal rationale; constant. Si tamen Angeli essent animalia rationalia, vt quidā olim falso sunt arbitrati, esset diminuta illa diffinitio hominis. Vnde addēdum esset, mortale: vel aliquid aliud quod nos ab Angelis distingueret. Ex dictis sequitur diffinitũ & diffinitionē adinuicē alterũ de altero æqualiter dici & cōuersim vniuersaliterq; prædicari, ita vt de quocũq; prædicatur diffinitũ, debet prædicari diffinitio & vice versa: Nisi forte aliqua logicalis proprietas destruatur in huiusmodi cōsequētijs à diffinitione ad diffinitũ, vel à diffinito ad diffinitionē siue affirmatiuè siue negatiue.

Diuiditur præterea diffinitio in plures species omissa distinctione quid rei & Quid nominis. Diffinitio Quid rei est triplex Quidditatiua, descriptiua, & causalis, quatenus etiā tripliciter natura rei explicari potest, uno modo per partes intrinsecas & essentiales. Altero modo per accidētia ꝓpria. Tertio per causas extrinsecas, qualis est efficiens & finalis. *Diffinitio triplex.* Diffinitio itaq; quidditatiua est diffinitio rei per intrinsecas partes essentiales. Hæc duplex est, altera metaphysica, quæ datur per propriũ genus & propriā differentiā, vt animal rationale. Et altera quæ dicitut Physica quæ datur per partes significātes materiā & formam ex quibus ens naturale cōponitur. v.g. si à Physico quæras: Quid sit homo: respōdebit intra rationē sui subiecti, est ens naturale compositum ex corpore & anima rationali. Et ideo dicitur diffinitio physica quia obiectũ naturalis Phylosophiæ est ens mobile siue naturale, quod est compositũ ex materia & forma. Quo circa Physicus in suis diffinitionibus semper cōpositione vtitur aut ordine ad cōpositionē. Illa vero prior dicitur metaphysica: quia methaphysicus rationē entis cōsiderat secūdũ abstractionē à materia sensibili & motu. Ac proinde diffinitio illa quæ nō datur per partes quæ realiter cōponāt diffinitũ, sed quæ intrinsece cōstituāt vnũ ens perfectũ in suo genere, dicitur metaphysica. Sed de hoc alias. Diffinitio denique Descriptiua est diffinitio rei per eius accidētia: quæ si sint propria magis accedit diffinitio ad essentiam rei à qua dimanant huiusmodi accidentia verbi gratia si dicas homo est animal risibile vel disciplinabile. At vero si accidentia sint communia

& ex multis ſimul iunctis orationem conſtituas quæ non niſi de homine prædicari poſsit tunc ; valde accidentalis eſt diffinitio & à ratione diffiniēdi ac proinde ab vtilitate modi ſciendi aliena. v.g. ſi dicas homo eſt animal erectum bipes pulchrum, magni cerebri, vel aliquid aliud ſimile: quorū accidentium aggregatio in alio animali non reperiantur; Certe talis diffinitio non proximè deſcribit rei naturā, ſed quaſi à longe circunſcribit eſſentiam rei. Et tales circunſcriptiones magis videntur ænigmata quam modi ſciendi: & obſcuriores ſunt quam diffinitum. Hoc genere deſcriptionis Rhetores & Poetæ vti ſolent. Sed à Dialectico longe abſit. Porrò circa omnia prædicta đ diffinitione (vt nō mireris poſtea, ſi in diffinitionibus quibus ſcientiæ vtuntur, etiam ipſa Dialectica, non tam ad vnguem videris obſeruari diffiniendi rationem iuxta documenta data) Animaduertendum eſt humanam cognitionem imperfectam eſſe in genere intellectualium creaturarum, quia omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu & à cognitione rerum ſenſibilium per phantaſmata ſingularia in quibus latent rerum eſſentiæ maxime ſubſtantiæ cum ſuis ſpeciebus & idcirco vix illam rerum differentiā penetramus, ſed ex effectibus quos in rebus ſenſibilibus experimur rerum proprietates potius quam eſſentiales differētias agnoſcimus. Ac proinde in nulla diffinitione intrinſecam & eſſentialem differentiam ſpecierum generis ſubſtātiæ poſitam inuenimus niſi forte in diffinitione hominis in qua rationale ſeu ratiocinatiuum hominis differentia exiſtimatur per quam eſſentialiter conſtituitur in eſſe animalis. Sed nō deſunt qui negent rationale eſſentialē eſſe hominis. rentiam ſed humani intellectus conditionem & proprietatē deſignat per quam homo differt ab intellectualibus creaturis quia veritatem ex veritate cognita diſcurrendo inquirit. Hoc enim eſt ratiocinari ad quam actionem rationale immediatum ordinem dicit. Ac proinde non videtur eſſe eſſentia; quia eſſentia non immediate per ſeipſam ordinatur ad operationem niſi mediante potentia operatiua. Nihilominus qui aſſerimus rationale eſſe differentiam eſſentialem hominis non intelligimus per rationale potentiam per quam ratiocinatur homo: ſed radicem vnde talis potentia & opera-

tio talis egreditur, & hoc ipsum fortasse possumus dicere de alijs diffinitionibus in quibus loco differētiæ incognitæ proprias passiones substituimus, vt cum dicimus equus est animal hinnibile, volumus radicem potentiæ quæ inhit insinuare. Ex dictis sequitur quod si ea quæ in prospectu nostro sunt, vt inquit sapiēs, inuenimus cū labore quæ in cœlis sunt quis inuestigabit? Sed quorsum exempla extranea quærimus de modo sciendi differentes? Recolamus diffinitionem nominis & verbi & inueniemus in eis plures multo quā duas partes diffinitionis. Neque proprium genus sed loco illius vocem posuimus. Differentiam vero per sex particulas cum Aristotele circumlocuti sumus. Hoc igitur documentum habeamus, vt quando possibile fuerit per duas particulas, diffinitionem quæ naturam rei explicet constituere, non plures apponamus. Sed vbi diffinitio obscura nimis remanet, non oportet tam parcos esse Dialecticos, vt non apponant plures partes quibus rei natura facilius innotescat.

Iam vero de diffinitione causali exempla ponamus siue ex parte causæ efficientis siue finalis siue ex vtraque simul. De causa quidem finali plurima exempla suppetunt in omnibus artificialibus, quæ ad vsum hominum fiunt. Sicut domus diffinitur esse ædificium ad protectionem & habitationem hominum, ita gladius ad scindendum, calamus ad scribendum optime diffiniuntur. Per causam autem solam efficientem rarò assignantur diffinitiones. Vt si quæram quid est Ecclypsis lunæ. Et respondeas est interpositio terræ inter solem & lunam, non rationem formalem ecclypsis, sed causam efficientem profers. Nam interpositio terræ inter solem & lunam causa efficiens est ecclypsis lunæ.

Tandem de modo inuestigandi rerum diffinitiones non est præsentis instituti exactè differere, sed summariè insinuasse sufficiat. Duplicem viam ad inueniendam diffinitionem docuit Plato in Sophista & Phædro. Quem Aristoteles etiam lib. 2. Poster. cap. 14. & lib. 1. Topicorum capite 14. admittit, licet non omnino approbet. Altera via est processus per diuisionem: Altera per collectionem. Per diuisionem quidem, exemplo sequenti hæc via declaratur. Vt si quis diffinire parat rem aliquam, incipiat mente conside-

rare quid communissimum est illi rei cum cæteris. Videlicet, in quo genere generalissimo collocetur & deinceps diuidat genus illud per suas species vel differentias specierum constitutiuas Quod si adhuc res illa cum alijs in altero mẽbro diuisionis conuenit; diuidatur iterum illud commune per alias differentias, donec peruenias ad vltimam differentiam rei cuius diffinitionem inquiris, verbi gratia vis nosse diffinitionem hominis: & consideras eum non esse accidens sed substantiam, quod genus est generalissimum ac proinde diuidendum in substantiam corpoream & incorpoream. Deinceps corporeã in viuentem & vita carentem deinceps corpoream viuentem diuide in sensitiuam & vegetatiuam: ac tandem sensitiuam in rationalem & irrationalem. Vbi iam omnis diuisio formalis differentiæ cessat. Quærebas enim de diffinitione hominis: quæ species quanuis communis sit multis indiuiduis, sed est indiuisibilis formaliter. Neque enim indiuidua & singularia formaliter & specifice differunt sed per conditiones indiuiduantes ex parte materiæ signatæ. Altera via quæ dicitur per modum collectionis, similium consideratione perficitur, verbi gratia. Si velit aliquis infimæ speciei diffinitionem colligere; considerare debet rationem adæquatam propter quam indiuidua illius eodem nomine appellantur. Et illa erit diffinitio talis speciei, verbi gratia si vis definire hominem considera Petrum & Paulum & alios singulares homines, quorum quilibet homo est & dicitur quatenus ratio hominis in singulis vna est. Non enim quilibet eorum dicitur & est homo quia corpus est vel quia substantia vel quia sentit, vel quia viuit: sed certe quia rationale animal est. Sed nobis profecto hic modus minus vtilis videtur ad scientiæ acquisitionem. Hac enim via difficilius est in legitimam diffinitionem peruenire. Iam de diffinitione, & diffinito consequenter tanquam de correlatiuo diffinitionis, quædam documenta sunt obseruanda. Primum est; duplex esse diffinitum, scilicet, remotum & propinquum, quidam moderni aiunt diffinitum propinquum esse nomen significans rem cuius natura exprimitur per diffinitionem; remotum vero esse rem ipsam. Nihilominus diffinitum remotum esse princi-

pale

pale diffinitum minus autem principale esse nomen respectu diffinitionis quid rei (nam diffinitum diffinitionis quid nominis non distinguitur in propinquum & remotum quia ipsum nomen vtriusque rationem habere dicunt) sed profecto in diffinitione quid rei, quanuis vtile sit inquirere quod nam sit diffinitum propinquum & remotum, tamen hæc differentia non esset constituenda inter rem & nomen rei cuius natura diffinitione explicatur. Et ratio mihi euidens est quia indiffinitione Quid rei ipsum nomen non est diffinitum, vt iam diximus, ergo neque propinquum neque remotum, ergo hæc differentia ad res ipsas transferenda est, quæ vere & proprie diffiniuntur oratione diffinitiua. Dicimus ergo rem esse diffinitum proximum cuius natura immediate & adæquate ac per se primo explicatur in diffinitione Quid rei. Diffinitum autem remotum res illa erit cuius natura quidem diffinitione explicatur, sed non per se primo & adæquate vel immediate. Verbi gratia huius diffinitionis animal rationale ꝓpinquũ diffinitum est homo, remotum vero est Petrus, cuius natura secundario & non adæquate & immediate exprimitur diffinitione, quæ ad amplius se extendit quã ad Petrum. Neque tale diffinitũ conuertitur cũ diffinitione. Verum est tamen quod diffinitum propinquum & adæquatũ ita est res ipsa, vt non adæquate diffiniatur prout secundum se inuenitur à parte rei, non enim à parte rei est homo communis distinctus à singularibus: sed dicitur diffinitum per se primo & adæquatum vt subest communi conceptui mentis in quo conceptu nulla est differentia inter Petrum & Paulum & alia singularia sed homo vt in illo cõceptu relucet cõmunis est omnibus singularibus: vnde in hac propositione homo est diffinitũ vel diffinitur hac diffinitione, Animal rationale, subiectũ supponit simpliciter. Quare nõ licet inferre, ergo Petrus est diffinitũ, nisi cũ addito remote vel in quãtum homo. Secundũ documentum nullum ens per accidens diffinitur vna diffinitione, ex Aristotelis lib. 7, metaphysic. lect. 3. apud S. Thoman. Ratio est quia ens per accidens non est vnica natura & essentia quæ vna diffinitione explicetur. Hæc est doctrina Aristotelis 7. metaphysic. & 12. tex.

 42. &

42 & 6.Topicorum.cap.5.v.g.homo albus non vnica diffinitione sed pluribus coniunctis potest diffiniri vt si dicas, Animal rationale coloratum disgregatiuum visus. Hinc est, vt æquiuoca non diffiniantur nisi prius distinguantur ex Aristot. 6. Topico. capite 5. Sed hoc intelligendum est de æquiuocis, quæ distinctis conceptibus significantur. Nã quędam Analoga ab Aristotele vnica diffinitione diffiniuntur. v.g. Natura est principium motus & quietis. Et tamen natura analogice dicitur de materia & forma quia forma magis natura est quam materia vt ipse Aristoteles docet. Tertium documentum, omne diffinitum vt diffinitum, debet esse vniuersale vt ait Aristote, lib. 1, poster. cap. 7. & lib. 2. capite 14. & lib. 7. metaphysica. Ratio huius est: quia inquit, singularia sunt corruptibilia & mutabilia: vniuersalia vero sunt immutabilia. Sed hæc ratio explicatione opus habet. Arguitur enim contra illam. De homine in communi demonstratur quod sit corruptibilis de quo tamen est diffinitio & scientia. Secundò, quia illa ratio deficit in singularibus incorruptibilibus, qualis est sol & luna: & tamen quatenus singularia sunt, proprie diffiniri queunt. Ad primum argumentum, respondetur quod id ipsum quod de homine demonstratur, scilicet, esse corruptibilem; est necessarium & æternæ veritatis, & fundatur in ipsa diffinitione hominis ratione generis & compositionis physicæ quæ in illo intrinsece inuenitur. Ratio autem Aristotelis procedit de ijs quæ per se corrumpuntur. Vt hic homo, hic equus. Homo vero in communi vt in communi consideratur; non per se corrumpitur sed ratione indiuiduorum. Quanuis ipsa passio corruptibilis in communi per se conueniat homini, non quidem per se primo & adæquate, sed quatenus est corpus compositum ex materia quæ est in potentia ad aliam formam. Ad secundum respondetur, quod de singularibus immaterialibus bene potest esse sciẽtia, sicut de Deo & de Angelis. De Deo quidem quia sua immaterialitate vincit omnem rationẽ entis in communi; quantumuis abstrahatur à materia. De Angelis vero, quia illorum indiuiduatio ab ipsamet specie promanat per hoc quod non habet species Gabrielis aliquid intrin secum per quod indiuidatur. Vt in materia de Angelis in

nostris

noſtris commentarijs ſupra primam partem latius diximus, poterit eſſe ſcientia:neque enim erit diſtincta de ſpecie & de indiuiduo.Cæterum de ſubſtantijs corporalibus incorruptibilibus ſingularibus non eſt ſciētia vt ſingularia ſunt. Poterat enim Deus alia indiuidua creare eiuſdem ſpeciei cum ſole & luna,de quibus eadem ſcientia eſſet,ſicut de iſtis creatis in ſingulari. Vnde talis ſcientia non reſpicit illa ſingularia vt ſingularia ſunt,ſed quatenus ſpecificam ſolis vel lunæ rationem habent.Denique ratio magis adæquata,quare ſingularia non diffiniuntur,ea videtur eſſe quia diffinitio formalem quidditatem rei explicat:At vero ſingularia de quibus Ariſtoteles loquitur,materialia ſunt.Et materialiter ex parte materiæ ſignatæ diſtinguuntur.Ac proinde nihil formalitatis adijciunt ſupra ſpeciem ratione cuius diffiniri poſſint. Verum quia ſingularia quæ corrumpuntur, magis habent de materialitate & potentialitate;quatenus eorum materia non eſt ſatiata aliqua forma ſpecifica,idcirco minus diffinibilia ſunt,præter quam quod eorum diuiſio in infinitum abiret ac proinde ſingula diffiniri non poſſent. Quartū documentum ſola ſpecies habet proprie diffinitionem. Hoc documentum eſt Ariſtotelis lib.7.metaph.& D.Thomæ ibidem lectione 10. Ratio eſt quia vera & propria diffinitio eſſentialis quidditatiua conſtare debet ex proprio genere & differentia propria,ſed hæc non inueniuntur niſi in ſola ſpecie,ergo ſola ſpecies proprie diffinitur. Probatur minor. Nam de ſingularibus iam diximus non habere differentiam formalem.Item ſuprema genera ſunt maxime vniuerſalia, neque conſtant ex genere & differentia, alias eſſet abitio in infinitum;Neque darentur ſuprema genera.Notandum vero circa hoc documentum,accidētia poſſe diffiniri proprie, licet imperfecte.Ratio eſt,nam habent accidentia propriū genus & differentiam,verbi gratia albedo eſt color diſgregatiuus viſus.Diximus autem,imperfecte;quoniam accidentium eſſentia & quidditas imperfecta eſt,cum non ſint entia per ſe,ſed in alio,ſcilicet in ſubſtantia: ac proinde diffinitur accidens aliter quàm ſubſtantia,nimirum per ſubiectū quod non eſt eſſentia accidentis:vt ait D.Thomas in 2.ſententia. diſtinctione 35.articulo 2.ad 1.Vbi ait,Nihil perfecte diffi

nitur nisi substantia. Et idem dicit libro 7. metaph. lectione 3. Sed contra documentum arguitur. Animal diffinitur quod est corpus viuum sensibile & tamen est genus, ergo non solum species diffinitur. Respondetur animal diffiniri quidē, sed in quantum est species viuentis, in quantum vero genus est diuiditur in rationale & irrationale vel in species inferiores. Sed non diffinitur nisi quantum ad ea quæ actualiter includit. Nam si animal quatenus genus est diffiniretur tunc maxime diffiniretur supremũ genus quod est substantia, sed hoc nullatenus diffinitur diffinitione Quid rei quia non constat ex genere & differentia, ergo nullum genus sub ratione generis diffinitur. Habemus itaque diffinitum debere esse vniuersale sed non omne vniuersale diffiniri potest sed illud dum taxat quod constat ex genere & differentia. Ex prædicto documento sequitur differentiam speciei constitutiuam & generis diuisiuam diffiniri non posse nisi diffinitione Quid nominis. Et ratio est quia differentia non constat ex genere & differentia neque directe sub genere collocatur. Sequitur etiam, quòd neque formæ substantiales quæ vere & proprie sunt partes componentes physice substantiam corpoream, posse propriè diffiniri. Ratio est, quia non constant ex proprio genere & differentia, verbi gratia anima non est proprie species, sed forma speciei. Diffiniuntur autem huiusmodi formæ aliquo modo vel per ordinem ad totum cuius partiales formæ sunt, vel per ordinem ad alteram partem, quæ est compars ad compositionem totius. Et sic diffinitur anima, actus corporis physici organici potentiæ vitam habentis. Si autem quæras, Quid sit anima rationalis? Respondendum est esse formam, qua homo est homo: vel esse formam hominis, quæ est primum principium intrinsecum ratiocinandi.

Caput

Caput primum De argumentatione.



ERTIA species modi sciendi dicitur argumentatio siue argumentum: ad quam tanquã ad finem diuisio & diffinitio ordinatur. Et idcirco fusius versabimur in explicatione argumentationis. In primis aduerte ex D. Thoma in 3. sentent. distinct. 23. quæst. 2. art. 1. ad 4. & de veritate quæst. 14. art. 2. ad 9. quod argumentum proprie dicitur processus rationis de notis ad ignota manifestanda vnde dicit Boetius lib. 2. de differentijs topicis, argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem. Et quia tota vis argumenti consistit in medio termino, ex quo ad ignotorum probationẽ proceditur; ideo ipsum medium dicitur argumentũ siue sit signũ siue causa siue effectus. Deinde quia in medio termino quasi in principio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus processus argumentationis; ideo deriuatum est nomen, Argumentũ ad hoc vt quælibet breuis prelibatio futuræ narrationis dicatur argumẽtũ. Sicut in epistolis Pauli singulis præmittuntur argumenta. Denique quia principium vel medium dicitur argumentum, in quantum habet virtutem manifestandi conclusionem, & hoc inest ei ex lumine intellectus cuius est instrumentum. (Omnia enim quæ arguũtur à lumine manifestantur) ideo ipsum lumẽ quo manifestantur principia, potest dici argumentum principiorũ sic etiã ipsa principia sunt argumentum conclusionis. Ex his quatuor modis accipiendi nomen, Argumentum; de primo in præsenti agendum est. Et in eadem significatione vtemur nomine, Argumentatio, & nomine Consequentia; siue vt latiniores aiunt, Consequutio; Est itaque tertius modus sciendi processus rationis ex aliquo noto ad aliud probandum. Quæritur autem an mala argumentatio sit dicenda argumentatio, & mala consequentia sit dicenda consequentia. Et ratio dubitandi est; quia mala diuisio non est simpliciter diuisio apud Dialecticos, neque mala diffinitio est simpliciter diffinitio: ergo mala argumẽtatio siue cõsequẽtia non est simpliciter argumentatio vel consequẽtia.

Ephes. 5.

An mala argumentatio sit simpliciter argumentatio.

Sed

Sed in oppositum est quod propositio falsa, est simpliciter propositio ergo mala consequentia dicenda est simpliciter consequentia. Pro solutione huius interrogationis aduertẽdum est, non eamden esse rationem boni argumenti & bone consequentiæ. Est enim bona consequentia aliquid communius quã bonũ argumentum seu bona argumentatio. Nã hec est bona consequentia; omnis homo est lapis. Petrus est homo ergo Petrus est lapis: sed non est bonũ argumẽtũ. Ratio huius est quia bonum argumentum non solũ includit bonitatem consequentiæ, sed etiam antecedentis veritatem notã ex qua illuminetur consequens. At vero quando antecedens est falsum, non potest illuminare conclusionem. Sed bonitas consequentiæ nihil aliud promittit quam si concesseris antecedens debeas concedere consequens. Malũ itaque argumentum ex duplici capite potest contingere nimirũ vel ex malitia consequentiæ vel ex falsitate antecedentis. Mala vero consequentia ob id solum erit mala, quia consequens non colligitur ex antecedẽti, etiam si concedatur antecedẽs. Hoc supposito ad interrogationem factã dicendũ est, malũ argumentum vel malam consequentiam non esse simpliciter argumentum neque consequentiam. Huius ratio est ex diffinitione argumenti, quæ est ratio rei dubiæ faciens fidem, hoc est, processus rationis humanæ de notis ad ignota vel minus nota. Sed malum argumentum non hoc efficit. Est enim potius obscuratio, quàm illuminatio. Sicut igitur homo mortuus non est homo, quia caret vita sic malum argumentum non est argumentum: quia caret illuminatione. De consequentia etiam mala proportionabiliter loquendum est, & est negandum esse simpliciter consequentiam, quia re vera consequens non sequitur ex antecedenti etiam concesso: quia nullam habet colligationem cum illo. Vt si dicas, Petrus est albus, ergo Petrus est doctus: est vana consequentia; quanuis secundum vocem habeat figuram consequentiæ & significet alterum ex altero inferri. Vnde negantes consequentiam, solent dicere; nulla est consequentia: quia re vera non est consequentia. Ad obiectionem in oppositum facilè occurritur negando consequentiam. Non enim est eadem

ratio de propositione falsa & de mala argumentatione vel consequentia. Nam diffinitio propositionis in differens est ad significandum verum vel falsum: sed duntaxat diffinitur per modum significandi enuntiando siue illud quod enuntiat sit verum vel sit falsum. Imo eadem numero propositio nunc est vera & postea falsa, absque aliqua mutatione sui. Vt Petrus currit, eadem propositio est in mente & in voce & Petro currente vel non currente transit de vera in falsam. Id quod argumentationi vel consequentiæ non accidit. Sed argumentum quod semel est bonum semper est bonum, & consequentia quæ semel est bona, semper est bona. Nihilominus vt vulgo Dialecticorum aliquid concedamus, aliquando nomine argumenti & consequentiæ indifferenter vtemur pro argumento bono vel malo & pro consequentia bona vel mala. Diffiniunt itaque vulgo Dialectici argumentationem & consequentiam siue bonam siue malam in hac forma. Argumentatio est oratio in qua vno dato alterum consequitur. Et aiunt orationem poni loco generis, quanuis propositio sit genus proximum. In qua re vehementer falluntur. Quanuis enim propositio sit aliquid superius argumentationi, tamen non est propriè genus. Et probatur quia propria passio generis debet prædicari de specie sed propria passio propositionis est esse veram vel falsam, & tamen hæc non conuenit consequentiæ & argumentationi: quæ nō est vera vel falsa sed bona vel mala. Item illa diffinitio. In qua vno dato alterū consequitur, non videtur vt illi intēdūt malæ consequentiæ conuenire. Nam re vera in mala consequētia consequens etiam dato antecedente re vera non consequitur. Et ideo alij diffiniunt esse orationem in qua vnum denotatur sequi ex altero. Et alij esse orationem aggregatam ex antecedēte propositione & consequente, illationis nota mediante. Proculdubio hæ duæ diffinitiones tam bonæ quàm malæ consequentiæ conueniunt. Nos autem ex his duabus vltimis diffinitionibus vnam conficiamus, qua bonam & malam argumentationem & consequentiam vt cunque complectamur. Argumentatio est oratio, in qua vna propositio ex altera virtute coniunctionis illatiuæ denotatur consequi. Sunt vero quatuor illatiuæ coniunctiones communes bonis & ma- *Quatuor coniūctiones illatiuæ.*

& malis consequentijs. Nimirum, Si, Ergo. Igitur, Quia, Prima constituit conditionalem consequentiam, vt si homo volat habet alas. Secunda & tertia constituit consequentiam rationalem. Quarta causalem, Omnis itaque argumentatio cõstat antecedente & consequente & nota illationis. Non tamen eodem ordine collocantur cum illis coniunctionibus illatiuis. Etenim, quando consequentia constituitur coniunctione, Si, vel quia; erit antecedens propositio quæ immediate sequitur coniunctionem, altera vero propositio siue antecedat coniunctionem siue mediate sequatur erit consequens v.g. si homo volat, habet alas. Vel homo habet alas, si homo volat. Similiter quia homo est rationalis est risibilis. Vel homo est risibilis quia est rationalis. Semper est antecedens propositio immediata coniunctioni. Ad has igitur tres figuras argumentandi seu disputandi reuocantur omnes consequentiæ siue bonæ siue malæ sint.

Caput secundum.



HIS ita constitutis antequam ad formam Dialecticam differendi accedamus, necesse est prius ostendere, quid requiratur ad veritatem propositionum quatenus ad rationem disputandi potest cõducere. Verũ quia argumẽtatio propositio hypothetica est; & hypothetica ex cathegoricis constat; dicẽdũ est in primis, quid requiratur ad veritatẽ cathegoricę enũtiationis. Primũ documẽtũ sit, ad veritatem cathegoricæ enũtiationis affirmatiuę requiritur quod extrema supponãt & quod pro eodẽ supponãt aut verificẽtur iuxta exigentiã proprietatũ logicaliũ. Etenim hæc propositio, homo est doctus vera est, sed hæc est falsa, omnis homo est doctus quia quãuis extrema supponãt & pro eodẽ supponant, vel verificẽtur: tamẽ non verificantur pro eodẽ secundũ exigẽtiã suppositionis distributiuæ. Cauendum igitur est, ne aliquid cõtingat circa extrema propositionis affirmatiuæ contra regulas alicuius proprietatis logicalis. Alias non sufficiet ad eius veritatem quod extrema supponant ac verificentur de eodem.

dem. Secundum documentum. Ad veritatem propositionis negatiuæ sufficit si alterum extremum non supponit vel si vtrunque supponit non tamen pro eodem, vt hæc est vera Petrus non est Paulus: quia quamuis extrema supponant, non tamen pro eodem: & hæc etiã est vera. Antichristus non currit, quia subiectũ non supponit. De Hypothetica documenta dari non possunt, nisi prius fiat diuisio hypotheticæ in suas partes. Diuiditur enim enuntiatio in simplicem & in eam quæ coniunctione est vna, vt supra explicatũ est, iuxta numerum variarum coniunctionũ quæ cathegoricas vniũt. Numerus vero harum coniunctionũ supra tres illatiuas qua ternarius est. Diximus enim tres esse illatiuas: si Igitur vel ergo, Quia, Super has adijcimus, Et vel, siue, Aut; Nec, quæ tantum valet sicut & non. Prima igitur species hypotheticarum sit copulatiua cuius partes coniungũtur coniunctione, &, vel, Nec. Vt Petrus disputat, & Ioannes ambulat. Item Petrus non disputat nec Ioannes ambulat. Altera species est disiunctiua cuius partes coniunguntur coniunctione vel, Aut, siue, In illatiuis etiam hypotheticis tres formæ inueniũtur. Conditionalis cuius partes coniunguntur coniunctione si, Rationalis, cuius partes coniunguntur coniunctione Ergo, vel, Igitur. De his etiam hypotheticis illatiuis quæ cum sint consequentiæ non desinunt etiam esse propositiones oportet documenta ad illarum veritatem vel falsitatem dignoscendam proferre.

Primum documentum, ad veritatem propositionis copulatiuæ necesse est vtramque partem esse veram: & consequẽter ad falsitatem sufficit vnam partem esse falsam. Secundum documentum. Ad veritatem disiunctiuæ sufficit vnam partem esse veram & consequenter ad falsitatem requiritur vtraque pars falsa. Et quod diximus de veritate & falsitate intellige de necessitate & impossibilitate. Sẽper enim copulatiua sequitur debiliorem partem & ab ea denominatur. Disiunctiua vero sequitur firmiorem partem & ab ea denominatur, v.g. hæc copulatiua Petrus currit & Ioannes est equus, est impossibilis. Hæc autẽ, Petrus currit & Ioãnes est homo, est cõtingẽs. Similiter hæc disiũctiua, Deus est vel homo est equus est necessaria, hæc autẽ; Petrus currit vel equus

est homo,non est impossibilis:sed contingens quia firmior pars est contingens quàm impossibilis. Nota vero circa primum documentum & secundum, quòd quanuis ad veritatē copulatiuæ sufficiat,vtramque partem esse veram; tamen ad possibilitatem non sufficit vtramque partem esse possibilē. Sed riquiritur esse cum altera compossibilem. Vnde hęc copulatiua,Petrus currit & Petrus non currit,est impossibilis: quia quanuis vtraque pars sit possibilis,neutra tamen est cō possibilis cum altera. Similiter ad necessitatem disiunctiuæ non requiritur alteram partem esse necessariam, sed sufficit partes esse incompossibiles in falsitate. Et idcirco hæc est necessaria,Petrus currit vel Petrus non currit,quanuis vtraque pars sit contingens:Neutra enim cum altera in falsitate conuenire potest. Tertium documentū pro illatiuis. Si propositio hypothetica fuerit conditionalis, nihil aliud requirit ad sui veritatem quàm bonitatem cōsequentiæ. Vt si homo volat habet alas,vera propositio est,non obstante falsitate antecedentis & consequentis. Ratio est,quia conditionaliter loquens nihil affirmat vel negat de antecedentis vel consequentis veritate:sed duntaxat asseuerat bonam esse cōsequentiam. Et hoc est quod vulgò dicitur,Conditionalis nihil ponit in esse,hoc est circa antecedens vel consequens. Nihilominus aliquid asseuerat,scilicet,bonam esse consequentiam:Ac si diceret necesse est omne quod volat alas habere. Obseruandum est autem coniunctionem illam,Si,non semper illatiuè accipi, ita vt consequentiam constituat. v.g. in hac propositione. Si cras visitaueris me,dabo tibi equū. Hęc enuntiatio non est consequentia conditionalis:nam poterit stare veritas antecedentis cum falsitate consequentis. Et tamen qui sic promittit animo adimplendi promissum, nō mētitur:& nihilominus possibile est antecedens esse verum & consequens falsum:aut propter inconstantiam promittentis vel quia factus est impotens adimplendum promissum. Porrò,Si Deus aut propheta Dei aliquid sub conditione promiserit,tunc bona erit consequentia in materia. Nostrum itaq; documentum non intelligitur quando coniunctio, si, sumitur promissoriè. Alias præterea acceptiones habet hæc coniunctio,quæ magis ad Theologorum disputationum pertinent,

nent.v.g.cum Thomistæ aiunt, si Adam nō peccasset filius Dei non fieret homo. E contrario vero Scotistæ aiunt, Etiā si Adam non peccasset nihilominus filius Dei fieret homo. Neutri vero accipiunt coniunctionem illam, Si, in vi consequentiæ formalis: Sed loquuntur ex suppositione voluntarij decreti diuini secundum quod vtraque factio opinatur differentem fuisse ordinem diuini decreti ex parte rerum quæ sub diuino consilio ordinem inter se habent. Etenim in ipso Deo, siue Adam peccasset siue non peccasset, siue filius Dei fieret homo siue non fieret, nulla differentia inueniretur, apud quem non est transmutatio neque vicissitudinis obumbratio. Vnde Theologus qui proprie & cum reuerentia diuinæ puritatis & maiestatis loqui desiderat; omnē differentiam & varietatem in rebus decretatis collocet. Ita sanè vt Thomista dicat, talem ordinem fuisse decretatū à Deo inter incarnationem Verbi & permissionem peccati primi parentis, vt nisi in remedium peccati permissi Verbum diuinum non fieret caro. Scotista vero neget, talem ordinē fuisse per se decretatum, neque in aliquo genere causæ incarnationem verbi à permissione peccati depēdentiam habuisse. Neque vice versa permissionem peccati ab incarnatione verbi dependêre. Sed omnino inter se se hæc duo per accidens se habere & per accidens contigisse ex parte decreti circa incarnationē, quòd peccatum Prothoparentis permitteretur & præuideretur à Deo futurum. Nihil modo nos definimus: sed duntaxat modum loquendi præstamus. Accipitur itaque coniunctio illa, si, concomitanter non absolute illatiue. Idem iudicium est de quibusdam futuris conditionatis cōtingentibus, quæ aliqui moderni Theologi fingunt habere medium inter futurum absolutum & inter posibile futurū, ac proinde scientiam quandam mediam in ipso Deo imaginantur, quæ nec sit scientia intuitiua, nec scientia simplicis intelligentiæ. Sed de hoc aliàs nostram sententiam tulimus.

Quartum documentum. Ad veritatem propositionis hypotheticæ, quæ est consequentia rationalis, requiritur & sufficit supra bonitatem consequentiæ, antecedens esse verum. Non diximus etiam consequens esse verum: quia hoc superfluè diceretur. Nam si bona est consequentia & antecedens

est verum, non poterit consequens esse falsum. v.g. hæc hypothetica est vera propositio, homo est risibilis. ergo est rationalis. Hæc autem est falsa propositio, Homo est equus ergo homo est sensibilis, quia non sufficit bonitas cōsequētiæ. Etenim qui ita ratiocinatur affirmat antecedens.

Quintum documentum. Ad veritatem hypotheticæ quæ est consequentia causalis, requiritur & sufficit bonitas consequentiæ & veritas antecedētis, & quod res significata per antecedens sit causa vel ratio rei significatæ per consequens. Vnde hæc est falsa propositio, quia homo est risibilis est rationalis, hæc autem vera; Quia homo est rationalis est risibilis. Item hæc est vera; Quia Deus est immutabilis est æternus. Quia quanuis in Deo nihil sit causa alicuius quod est in Deo: tamen aliqua attributa diuina sunt nobis ratio demonstrandi alia. In hoc etiam documento obseruandum est, coniunctionem illam; Quia, non semper causaliter accipi ex parte rerum: sed aliquando importare rationem cognoscendi causam ex effectu: sic vt logici & Philosophi appellent demonstrationem; Quia; Eāquæ procedit ab effectu ad causam, vt luna ecclypsatur ergo terra interponitur inter Solē & Lunam. Et huiusmodi locutiones inueniuntur in sacris literis. v.g. Ioannis 16. Ipse Pater amat vos: quia vos me amastis. Vbi certum est Patrem dilectione sua causam fuisse amoris discipulorum erga Christum. Aliquando etiam coniunctio; Quia, accipitur nō causaliter, sed specificatiuè, hoc est; determinatiuè vt accipitur Ioannis cap. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Vbi dictio; Quia, determinat & denotat potestatem iudiciariam datā esse homini Christo in ipsa humanitate exercendam quando venturus est visibilis iudex iudicare viuos & mortuos. Aliquando etiam dictio, Quia, accipitur pro; Quòd, in sacris litteris. Iuxta illud Matthæi 6. Audistis, quia dictum est antiquis; Non occides? Habemus itaque ex dictis; argumentum & cōsequentiam non conuertibiliter dici. Item neque bonum argumentum neque bonam consequentiam idem esse. Semper enim argumentum, si proprie loquamur, amplius requirit, quàm bonitatem consequentiæ, videlicet, vt antecedens aliquo modo illuminet cōsequēs. Sed contra hæc est bona cōsequen-

quentia, homo est equus ergo est sensibilis: sed est malum argumentum, quoniam antecedens est aperte inutile ad probandum consequens. Obseruandum est tamen, distinctionē bonæ vel malæ consequentiæ propriam esse Dialectici, sed distinguere inter bonum & malum argumentum non solum dialectici est; sed etiam cuiuslibet sapientis in qualibet disciplina. Ratio est, quia bonum argumentum debet cōstare ex vero antecedente, cuius veritas ex cognitione physica vel metaphysica aut mathematica siue theologica pendet. Quocirca tametsi Dialecticus formam argumentandi præstet & modum etiam inquirendi veritatem per communia præcepta, tamen non omnis cognitio veritatis ad eum pertinet sed ad alias reales scientias: quæ rerum naturas perscrutantur. De quarum disciplinarum distinctione nec metaphysicus sine Dialectica, nec Dialecticus sine metaphysica perfectum iudicium ferre poterit.

His ita constitutis iam opportune de locis argumentandi secundum formam Dialecticam, præter syllogismum, differendum nobis est. Erit autem operæ pretium prius disputandi normam pro tyronibus interponere. Necesse est enim in exercitio disputandi Dialecticos tyrones certis quibusdam documentis instruere. Etenim teste Aristotele, exercitatio eruditionis cōsummatio est. Hanc autem formam in præcedentibus de industria non tradidimus, quia logicalium proprietatum diffinitiones ignorantibus, disputādi materia nō suppetebat. Dicamus in primis quid sit disputatio. Est enim duorum concertatio circa verum examinandum, dum alter defendit aliquam propositionem & alter impugnat. Quæ disputatio ad veritatis manifestationem & confirmationem si candido animo fiat, plurimum vtilitatis habet. Si vero ambitiosa contentione exerceatur ab aliquo, potius ad ipsius veritatis offuscationem quam manifestationem deseruit.

Caput tertium de Dialectica disputandi forma.

Forma disp.



RIMVM omnium defensoris locum tenens propositionem proferat, quam se defensurum profitetur. Deinde Impugnatoris officiũ erit, argumentum proponere succincte & distincte. Quod quidem ex antecedente & consequente & illationis nota constare necesse est. Tunc respondens, fideliter matureque totum argumentum integre repetat: interimque dum repetit, perpendat duo. Alterum est an verum vel dubium vel æquiuocum sit antecedens. Alterum an ipsa consequentia bona sit. Deinceps vt moris est, iterum incipiat repetere argumentum respondens ad antecedens, concedo: vel nego: vel etiam distinguo antecedens, cum fuerit simplex propositio. Si autem antecedens habuerit duas propositiones, quarum altera vocatur maior, & altera minor; respondeat prius ad maiorem cõcedo; vel nego; vel distinguo, vel transeat. Cum autem concedit antecedens vel maiorem, prosequatur eodem modo ad minorem vel ad consequentiã; circa quam nunquam distinguendum est. Bene tamen licebit distinguere consequens. Et supposito vno sensu vel altero, regrediatur ad consequentiam, vt eam concedat vel neget. Et tunc probatio relinquitur impugnatori. Obseruandum est tamen consequens nunquam negari debere, nam si conceditur antecedens & consequentia, frustra negabitur cõsequẽs. Nihilominus, quando impugnator concludit aliquam propositionem quæ non est contraria neque cõtradictoria propositioni propugnantis, licebit propugnatori dicere, transeat totum, vel, concedo totum. Et hoc maximè faciet quando consequens fuerit manifeste verum. Est alterum documẽtum à respondente obseruandum, quando distinxerit antecedens vel partem antecedentis. Tunc enim debet prosequi secundùm sensum concessum vel ad minorem vel ad consequentiam concedendo vel negando. Vt supradictum est. Si militer aduertat se teneri defendere vt verum si quid transire permiserit, perinde enim est ac si concesserit, quantum atti-

attinet ad consequentiam. Et idcirco caueat dicere, Trãseat, nisi quando certissimus est de malitia consequentiæ vel de veritate consequentis. Quare tutissimum est tyronibus respondentibus vbicunque falsum proponitur constanter negare. Hactenus de officio respõdẽtis cuius partes sunt pauca loqui. Neque statim proferre eorũque concedit vel negat rationem. Sed potius sua interest; omnem probationis laborẽ ad arguentem remittere; donec ipse arguens deficiat & quærat à respondente alicuius differentiæ rationem ad quam deuentum est. Deinceps etiam argumentatori candido, qui non sophisticè contendere intendit, suæ leges sunt præscribendæ. Huius primum documentum sit, vt quantum potuerit sine Amphibologia loquatur, & aperte & breuiter proponat argumentum in quo consequens immediate contradicat conclusioni propositæ. Sunt enim qui per ambages respondentem capere affectant, præsupponentes aliunde fundamenta, ex quibus non immediate argumentantur contra conclusionem: sed volunt habere illa quasi in deposito & in subsidijs, ex quibus in discursu disputationis probant aliquid, quod sibi negandum fore, præsagiunt. Neque enim audent postea de nouo & repente illis fundamentis vti, quia non sunt tam certa, vt negari non possint. Nam si certissima essent, frustra illa præmitterẽt ante disputationem. Quamobrem hic modus argumentandi semper mihi captiosus & sophisticus visus est. Præsertim cum de rebus maioris momenti disputatio ineunda est. Neque existimo respondentem teneri huiusmodi fundamenta præmissa concedere vel negare, nisi tam euidentia sint vt ea negare impudentiæ tribueretur: Sed tunc ipse arguens argueretur de superfluitate, verbi gratia si arguens cum catholico præsupponeret, Deum esse trinum & vnum. Et cum mathematico præsupponeret Quæcunque sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se. Si vero præsupponat aliqua fundamenta quæ respondenti nõ sunt certa, quanuis videantur probabilia, licitũ erit respondenti neque concedere neque negare, sed petere ab argumentatore, vt intra formã argumenti proponat illa fundamenta: & tunc videbit an sint concedenda vel negã-

da. Sæpe enim contingit, vt arguens supponat aliquam probabilem opinionem; quæ tamen non stat cum altera probabili sententia quam respondens tuetur. Quanuis enim verũ vero consonet, non tamen, omnis assertio probabilis stat cũ altera probabili assertione. Contingit enim duas opiniones seorsum quamlibet esse probabilem, & tamen esse de assertionibus contradictorijs. v.g. vnus dicit, relatio distinguitur realiter à suo fundamento: & alter dicit nulla relatio distinguitur realiter à suo fundamẽto. Quo circa respondens non prudenter agit dum talia fundamenta prodigè admittit; nisi certus fuerit nullatenus suæ positioni contradicere.

Secundum documentum in fauorem arguentis est; vt quã do ex vno simplici antecedente poterit immediate inferre contradictorium propositionis defendendæ; non vtatur syllogismo, sed taceat maiorem vel minorem: vt postea probet consequentiam si negata fuerit. Et hic modus argumentandi dicitur enthimematicus & gratissimus auditoribus: sed respondenti facilis quidem ad recitandum, sed difficilior ad respondendum: non enim bonitas vel malitia consequentiæ ita patet ac si proponeretur simul maior & minor.

Tertium documentum. Boni & grati argumentatoris est, vt si negatur sibi consequentia probet directe consequentiam: vel assignando locum dialecticum irrefragabilem, vel concludendo in consequenti conditionalem, ergo si hoc est hoc, illud est illud. Hoc aduerterim propter perperam argumentantes, qui dum illis consequentia negatur, alio medio ad idem consequens probandum, sæpe vtuntur & sic multiplicant argumenta nullum prosequentes. Alij vero non aliam probationem consequentiæ proferunt, quam repetere argumentum, quod nimis fastidiosum est, & à præsidente in publica disputatione minime admittendum. Denique disputantes ad manifestationẽ veritatis debent omnino cauere à nimia vocis acrimonia & clamoribus: Sed nec languore tepescere debent. Sophystæ vero qui sapientes apparere affectant legant Aristotelem in libris Elẽchorũ, vbi eorũ conditiones exacte depingit. De officio tandẽ patroni præsidẽtis pauca etiã insinuanda sunt, vt cũ vtilitate disputatio ꝓcedat.

Patro-

Patroni est in primis summa attentione mentis præ esse; totiusque disputationis processum comprehendere: vt opportuno tempore sententiam definitiuam circa tenendā veritatem proferat. Patroni est curare, vt præscripta forma inter disputātes obseruetur. Patroni est, propugnatori potius quàm impugnatori patrocinari: nisi forte quando dum impugnatori auxilium ferre videtur; aliunde magis appareat argumenti fallacia, quo facilius à respōdente dissoluatur. Quo documento nos sæpe vtimur cum præsidentis officio fungimur. Patroni tandem est, dum disputatio rite procedit; tacere: nisi forte breui insinuatione auxilium respondenti ferre valeat; si viderit illum vacillare vel anxium esse, aliàs relinquat disputantes donec disputatio ad finē peruenerit & præsidentis iudicium postulet. Hæc forma & disputandi methodus si in scholis obseruaretur, nihil pulchrius, nihil vtilius, aut delectabilius mihi accidere potest, quā huiusmodi disputationibus interesse. Quādo vero præscriptæ leges nō seruātur, nihil fastidiosius, nihil inutilius, auditoribus contingit.

Caput quartum de Locis argumentandi.



RELIQVVM est iam, vt promissis stemus antequam ad enuntiationum ad inuicē comparationem, siue per oppositionem siue per æquippollentiam accedamus; prius de quibusdam argumentandi locis præter syllogisticum disseramus. Neque tamen est animus de omnibus ad disserendum accommodatis locis sermonem facere: sed de illis tantum ex quibus pernecessariā cōsequentiā argumentantis intentū concluditur; disseremus. Nā cognitio locorū ex quibus probabilis duntaxat cōsequutio efficitur; facilius vsu disputandi & sapientū ac Rectorum lectione, quā artis præuētione acquiritur: dūmodo prius discipulus necessariæ cōsequētiæ documētis fuerit instruct⁹. Horsum igitur visum est operę pretium: duo prima & inter omnia potissima principia naturali lumine ab omnib⁹ cognita tanquā omnis argumētationis firmissima fūdamēta pręmittere.

Duo fundamenta argumentandi.

 Alte-

Alterum methaphyſicum eſt, & ab Ariſtotele libro 4. methaphyſic.tex.9.deſumptum,ſcilicet, Quodlibet eſt vel nō eſt:&,impoſsibile eſt de eodem affirmare & negare. Quod principium merito dignitas dignitatum ad quod omnes demonſtrationes decurrunt appellatur. Alterum eſt Dialecticum. Nimirum in omni bona conſequentia ſi antecedens eſt verum,& conſequens debet eſſe verū. Hæc duo prima principia probatione nulla indigent,quia omni argumentatione priora ſunt. At vero aliqua explicatione opus habent. Nam illud prius principium non ſolum in illa vniuerſalitate propoſitum primum eſſe exiſtimandum eſt, ſed etiam de quacunque re in ſingulari vel in ſpecie vel in genere exerceri poteſt. Vt verbi gratia Petrus eſt vel non eſt equus. Petrus eſt vel non eſt albus,equus eſt vel non eſt animal. Hinc conſequenter huius principij contradictorium eſt euidenter per ſe falſum, videlicet, aliquid non eſt & eſt. Nihil enim magis ab intellectu alienum, quàm de eodem affirmare & negare. Eſſet enim rationalis natura ab Autore ſuo male condita, ſi duabus cognitis contradictorijs ſenſum præberet. Tunc enim aſſentiret falſo ſub ratione falſi. Quēadmodum enim humana voluntas non poteſt ferri in malum ſub ratione mali,quia eſt inclinatio à ſummo bono rationali naturæ indita cuius obiectum eſt bonum ſub ratione boni,ita & intellectus indito lumine à ſummo vero,non poteſt aſſenſum præbere niſi vero vel ſub ſpecie veri occultato. At quando eſt expreſſa cōtradictio in obiecto ſub nulla ratione veri occultari poteſt:deſtruitur enim primum illud principium, Quodlibet eſt vel non eſt. Quamobrem authori naturæ aſcriberetur error ille qui tale lumen indidit vt ſub ratione falſi mens aliquid amplecteretur.

Alterum principium, quod Dialecticum appellauimus, non quia ſit inuentum Dialecticorum, vel quia ex illo probabiliter procedatur, vt ſolet appellari dialecticus ſyllogiſmus,qui ex probabilibus procedit vel concludit: Sed idcirco dialecticum diximus,quia maxime ad exercitium in materia dialecticæ diſciplinæ accommodatum eſt. Eſt itaque primum principium naturali lumine cognitum: ita vt

nulla

nulla ratione probari posit. Nam si illud principium quis probare intenderit necesse erat, vt per bonam consequentiam id efficeret. Illa vero consequentia nisi præsupponat principium illud esse verum, inutilis omnino erit. Etenim quanuis aliquis concesserit antecedens & consequentiam, negaret consequens. Nam diceret, in bona consequentia posse antecedens dari verum & consequens falsum. Igitur in omni argumentatione semper præsupponitur, in omni bona consequentia non posse antecedens esse verum & consequens falsum. Ac proinde nulla argumentatione hoc principium probari poterit. Ratio vero explicatiua huius principij ex cognitione terminorum habetur. Nam si propositio antecedens est simpliciter vera, eius veritas consistit in adæquatione intelligentiæ ad rem sicut est, ergo nihil in ea falsi contineri potest: ac proinde nec poterit falsitatem parere. Si igitur consequentia est bona & antecedens verum, necesse est & consequens esse verum. Implicat enim contradictionem falsum in vero contineri. Sed vides in hac nostra ratione explicatiua, etiam nos vti consequentia bona ex vero principio & inde conamur explicare illius primi principij veritatem. Præsupponimus enim in bona consequentia si antecedens est verum & consequens verum esse debere. Frustraque iam laborabimus contra negantem illud principium sicut neque disputandum est contra negantem, Quodlibet est vel non est. Ex dictis sequitur argumentantis summam victoriam esse trahere respondentem ex concessis per bonam consequentiam ad conclusionem in qua contradictionis implicatio est.

Iam vero ex illo principio dialectico indemonstrabili aliæ conclusiones euidenter deducuntur & regulæ, quæ ad illud principium reducuntur. Moderni regulas decem proponunt ad disserendum necessarias. Prima est. Ex vero semper verum infertur: alias daretur in bona consequentia antecedens verum & consequens falsum. Secunda regula, Falsum non nisi ex falso sequitur. Istæ duæ regulę sunt tam proximæ illi principio vt probatione non egeant. Tertia regula. In bona consequentia si antecedens est ne- *Decem regulæ.*

cessarium consequens debet esse necessariũ, nec sufficit esse verũ. Probatur, quoniã alias posset dari antecedens verũ & consequens falsum. Nam si antecedens est necessariũ semper est verũ: si vero consequens non est necessariũ, poterit aliquando esse falsum ac proinde tunc dabitur antecedens verũ & consequens falsum. Quarta regula. In bona consequentia si antecedens est posibile consequens non potest esse impossibile. Probatur quia cõsequens impossibile semper erit falsum: & cum antecedens sit possibile, poterit aliquãdo esse verum ergo tunc dabitur antecedens verum & consequens falsum. Quinta regula. In bona consequentia si consequens est contingens, antecedens nõ potest esse necessarium. Hæc patet, quia antecedens necessariũ semper est verum: consequens autem contingens, poterit esse falsum ergo in bona consequentia poterit dari antecedens verum & consequens falsum. Sexta regula, si antecedens est contingens cõsequẽs non potest esse impossibibile. Probatur nam contingens dicimus quod indifferens est ad verum vel falsum: igitur contingens poterit esse verum, & tunc consequens erit falsum, cùm sit impossibile. Septima regula. Quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ sequitur ad eius antecedẽs, v.g. hæc est bona consequentia. Petrus disputat, ergo loquitur. Rursus hæc est bona; Petrus loquitur ergo mouet linguam. Igitur de primo antecedente ad vltimũ consequẽs, bona erit consequentia. Hæc regula demonstratur deducendo ad impossibile. Nã detur oppositum quod B. bene sequatur ex. A. & ex B. sequatur. C. & nihilominus. C. non sequatur ex. A. tunc sic argumentor. C. non sequitur ex. A. ergo. A. poterit esse verum &. C. falsum (si quidem in mala consequẽtia possibile est dari antecedens verum & consequens falsum) Tũc vltra sic prosequor. A. est verum ergo. B. est verũ quod concedebatur bene sequi ex. A. deinceps. B. est verum ergo C. erit verum quod concedebatur sequi ex B. Ac tandem habeo intentum C. esse verum & falsum. Octaua regula. Quidquid repugnat consequenti bonæ consequentiæ repugnat antecedenti. Probatur, nam alias si non repugnat antecedenti, poterit esse verum cum illo, repugnat autem con-

consequenti ergo tunc consequens erit falsum antecedente existente vero. Hæc regula sub alijs verbis potest constitui. In bona consequentia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: quæ eadem ratione demonstratur, quoniam alias in bona consequentia daretur antecedens verum & consequens falsum. Quod sic ostendo. Nam si oppositum consequentis non infert oppositum antecedentis, ergo poterit stare in veritate cum antecedente. Sed tunc consequens erit falsum, existente suo contradictorio vero, ergo, &c. Nona regula. Ex impossibili sequitur quodlibet, videlicet, verum, falsum, necessarium, impossibile, contingens. Decima regula. Necessarium sequitur ex quolibet, scilicet, ex impossibili, ex necessario, ex contingenti, ex falso, ex vero. Istæ duæ regulæ simul explicandæ sunt. Possunt enim dupliciter intelligi, præsupposita bonitate consequentiæ, vno modo permissiuè. Nimirum quod ex impossibili possit sequi omnis differentia enuntiationis non tamen quod quælibet enuntiatio necessario consequatur ex impossibili. Et similiter intelligatur decima regula. Non vt quodlibet necessarium sequatur ex qualibet differentia enuntiationis cuiuslibet: sed quia possibile est ex qualibet differentia enuntiationis sequi necessarium. Atqui hæc intelligentia harũ regularũ planissima est exẽplis. v.g. bene sequitur omnis equus est rationalis omnis lapis est equus, ergo omnis lapis est rationalis ecce vbi ex impossibili sequitur impossibile. Itẽ hæc est bona cõsequentia, omne viuens est plãta omnis arbor est viuẽs ergo omnis arbor est plãta. Ecce necessariũ sequitur ex impossibili. Itẽ bene sequitur, omne ens necessario currit, Petrus est ens ergo Petrus currit. Ecce vbi cõtingens sequitur ex impossibili. Et multa alia exẽpla poterit præceptor discipulis proponere ad intelligẽtiã vtriusq; regulæ. Altera intelligentia nonæ & decimæ regulæ est huiusmodi, vt eo ipso quo antecedẽs est impossibile, statim quælibet enũtiatio bene sequatur ex illo, vt si dicas Petrus est equus ergo lapis est leo, ergo equus est hinnibilis, ergo Petrus currit. Et similiter propositio necessaria quælibet ex quolibet antecedẽti bene inferri. Ratio sic opinantiũ est quia putant omnem

omnem bonitatem consequentiæ in hoc consistere, si non fuerit possibile in ipsa dari antecedens verum & consequēs falsum. Et omnem malitiam consequentiæ in hoc aiunt consistere si in illa posit dari antecedens verum & consequens falsum. Sic igitur probant duas prædictas regulas. Si antecedens est impossibile, non poterit dari antecedens verum & consequens falsum. Rursus si consequens est necessrium, nō poterit dari consequens falsum & antecedens verum.

Nihilominus hæc sentētia ab alijs merito non probatur, quorum ratio melior videtur. Quia bonitas consequentiæ non consistit in pura negatione: sed in aliqua connexione inter significatum consequentis & antecedentis, ita vt intellectus conuincatur ex antecedente concesso, etiam alias impossibili, concedere consequens. At vero in hoc discursu equus est lapis, ergo homo est aquila, nulla intellectui repręsentatur connexio, vt etiamsi antecedens concesserit, teneatur illud consequens concedere. Deinde consequentiæ malitia non solùm ostenditur quando in proprijs terminis datur antecedens verum & consequens falsum: sed etiam declaratur quando in alia consequentia similis formæ datur antecedens verum & consequens falsum. Assignabo itaque hāc consequentiam similis formæ. Equus est animal ergo homo est aquila: vbi antecedens est verum & consequens falsum ergo altera consequentia mala erat. Probo autem esse similitudinem formæ inter illas consequentias. Non enim impedit similitudinem formæ si antecedens vnius sit in materia remota & alterius in materia naturali: dùm modo seruetur eadem qualitas & quantitas in enuntiationibus, eadēque logicalis proprietas. Neque tamen destruitur aliquis formalis modus argumentandi in Dialectica designatus, qui etiam debet seruari in similitudine formæ. Igitur illæ duæ consequentiæ sunt similis formæ. Nisi forte velis dicere locum argumentandi legitimum esse ab antecedenti impossibili: quem nullus Philosophorum commemorauit. Ad rationē autē contrariæ sentētiæ satis responsum est, ad malitiā cōsequētiæ sufficere quod in simili forma detur antecedens verū & cōsequēs falsum. Vbi obserua sufficere quidē ad malitiam

litiam consequentiæ, si posit dari antecedens verum & consequens falsum, non autem sufficere ad bonitatem, si nõ possit dari antecedens verum & consequens falsum in particulari materia. Porro ad maiorem intelligentiam prædictorum est mihi vnum argumentum in fauorem oppositæ sententiæ asserentis ex impossibili semper effici bonam consequentiam. Sic argumentor. Ex omni impossibili sequũtur duæ cõtradictoriæ (saltem implicitè) sed ex duabus contradictorijs per bonam consequentiam & formalem sequitur quælibet enuntiatio ergo ex impossibili sequitur quælibet propositio. Hæc consequentia patet ex septima regula. Nam quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ sequitur ad eius antecedens. Maior probatur ex diffinitione impossibilis. Nihil enim est impossibile nisi contradictionem saltẽ implicite contineat; aliàs posset à Deo fieri, cuius omnipotentia ad omnia quæ non implicant contradictionem se extendit. Minor verò probatur. Et assumo has duas contradictorias; Petrus currit & Petrus non currit: & volo inferre ex illis hanc propositionem, equus est leo. Sic argumentor. Petrus currit & Petrus non currit, ergo Petrus currit, à copulatiua ad partem. Rursus Petrus currit ergo Petrus currit vel equus est leo, à parte disiunctiuæ ad totam. Tandem ab hac disiunctiua cum destructione prioris partis infero positionem alterius, sic procedens. Petrus currit vel equus est leo, sed Petrus non currit, vt concessum erat in primo antecedẽti, ergo equus est leo. Et proportionabiliter poteris inferre quamlibet aliam propositionem ad libitum tibi propositã, si processeris per tres illas consequentias, quarum quælibet formalis est & necessaria. Hoc argumentum non est vulgare. Et facie tenus videtur intentum suum probare. Nihilominus, si quis attente introspexerit, solubile est. Id quod ego sic ostendo. Quanuis enim prima illa consequentia, à copulatiua ad partem formalis consequentia sit, & etiam secunda cõsequentia, à parte disiunctiuæ ad totam sit formalis; tamẽ in tertia consequentia, in qua argumentamur à disiunctiua cũ destructione vnius partis ad positionem alterius, inuenitur ipsa destructio vnius partis non sequi formaliter ex antecedentibus. Etenim per accidens est ad formalitatem consequẽ

tiæ à copulatiua ad partem, quod ipſa copulatiua contineat duas contradictorias. Eſt etiam multò magis per accidens, quòd dum argumentamur à parte diſiunctiuæ ad totam, illa pars diſiunctiuæ fuerit deducta ex vna copulatiua quæ conſtabat ex duabus contradictorijs. Ac pro indi quando in vltima conſequentia repente emergit deſtructio alterius partis diſiunctiuæ, illa deſtructio non conſecuta eſt formaliter per conſequentiam formalem in quantum deſtructio eſt partis diſiunctiuæ, ſed materialiter contigit, quòd in prima copulatiua altera pars alterius fuerit deſtructiua. Quo circa hic diſcurſus erit ſimilis formæ cum illo. Petrus currit & Paulus non diſputat, ergo Petrus currit. Rurſus Petrus currit, ergo Petrus currit vel equus eſt leo. Deinceps in tertia conſequentia inuenies deeſſe deſtructionem alterius partis diſiunctiuæ, quæ non ſequitur ex antecedentibus. Non enim poteris dicere, ſed Petrus non currit, ergo equus eſt leo. Nam in prima copulatiua altera pars non deſtruebat priorem. Quod autem iſte ſecundus diſcurſus ſit ſimilis formæ cum priore, probatur: quia prima hypothetica copulatiua eſt ſimilis formæ cum copulatiua ſecundi diſcurſus, vtraque enim continet duas partes eiuſdem quantitatis & qualitatis. Neque in illis eſt differentia aliqua in proprietate logicali. Secunda etiam conſequentia ſimilis formæ eſt, vt patet. Tertia denique conſequentia ſi ponas deſtructionem alterius partis, bona eſt & ſimilis formæ, ſed minor erit falſa ſi dicas, ſed Petrus non currit, non enim habes vnde formaliter deducatur illa deſtructio. Fatemur tamen ſiquis concederet duas contradictorias, conuinceretur concedere vſque ad vltimam illam cōſequentiā: ſed conuinceretur non ex formalitate conſequentiarum: ſed ex materiali conceſsione duarū contradictoriarū in illis terminis, vbi copulatiua continet duas contradictorias. Atqui hoc pacto nos etiā fatemur ex duabus contradictorijs conceſsis, poſſe materialiter cōcludi quālibet enuntiationē, non tamen formaliter vt oſtēſum eſt. Alterū argumentū principale fieri poteſt contra tertiam regulā in qua dicitur. In bona conſequentia ſi antecedens eſt neceſſarium conſequens debet eſſe neceſſarium. Sic argumentor. Hæc eſt bona conſe-

quen-

quentiā. Deus dixit Petrum negaturum, ergo Petrus eſt negaturus. Antecedens eſt neceſſarium & tamen conſequens non erat neceſſarium, ergo regula fallit. Maior ab omnibus conceditur quia illa conſequentia fundatur in infallibilitate diuinæ præſcientiæ & veracitate dicētis, qui mētiri non poteſt. Quod autē antecedēs ſit neceſſariū, probāt quia erat propoſitio de præterito & ad præteritū non eſt potentia. Quēadmodū, Adam fuit, dicitur modò neceſſaria. Deniq; conſequēs non fuiſſe neceſſariū, probatur: quia quantūlibet Deus prædixerit Petrum negaturum nihilominus Petrus libere negauit Chriſtū, alias non peccaſſet. Hoc argumētum maiorem difficultatem tangit quam quæ nouitijs poſsit omnino explicari. De qua re late diximus in noſtris Commentarijs ſupra primam partem quæſt. 14. art. 13. dub. 2. ad 3. Nunc autem ſufficiet aſſerere illam regulam debere intelligi, tum de bona conſequentia formali, tum etiam de antecedente neceſſario ſimpliciter & ex proprijs terminis: & ſic nullam inſtantiam habebit. At vero conſequentia propoſita non eſt formalis, multa enim præſupponit non neceſſaria ſimpliciter, ex quibus materialem tantùm bonitatem habet. Nunc enim in illa conſequentia antecedens eſt verum, Deus dixit Petro, ter me negabis, & conſequens eſt falſum, dum infertur, ergo ter eſt negaturus. Iam enim Petrus non eſt negaturus Chriſtum. Si autem fuiſſet formalis conſequentia, quotieſcunque daretur antecedens verum, daretur etiam conſequens verum. Igitur illa conſequentia tantum fuit bona pro tunc, ſuppoſito quod Deus dixit & ſuppoſito quod Petrus nondū negauerat: quæ duo non ſunt ſimpliciter neceſſaria. Poſsibile enim fuit Deū nō dixiſſe & Petrū nō eſſe negaturum. Vnde ad argumentum in forma dupliciter poteſt Dialecticus reſpondere. Primo quidē negando conſequentiam eſſe formalem; nam conſequentia formalis quæ ſemel eſt bona ſemper eſt bona. Secundo negando antecedens eſſe ſimpliciter neceſſarium, ſed tantum ex ſuppoſitione non neceſſaria ſimpliciter. Sicut hæc propoſitio; Adam fuit, non eſt ſimpliciter neceſſaria, nam alias eſſet æternæ veritatis, quæ tamen erat falſa ante quam Adam fieret. Deinde ſi aliquam bonitatem habet illa conſequentia etiam conſequens

eſt

est necessarium ex suppositione non simpliciter. Id quod D. Thomas vbi supra ad 2. argumentum dixit, Consequens est necessarium, vt subest antecedenti, & non in se simpliciter. Quemadmodum Aristoteles dixit libro 1. Periher. cap. 6. Omne quod est, quando est, necesse est esse. Est enim ac si ceret, Impossibile est aliquid esse & non esse & necesse est esse si est. In quo modo loquendi necessitas cõsequentiæ insinuatur non autem necessitas absoluta ipsius enuntiati. Eadem explicatio adhibenda est quintæ regulæ. In qua dictũ est, si consequens est contingens, antecedens non potest esse necessarium, Intelligenda est enim de simpliciter necessario, & non de necessario ex suppositione.

Alia difficultas est quæ nam sit ratio quare ex vero non possit sequi nisi verum: & tamen ex falso possit sequi verũ. Ratio dubitandi est: quia nõ minus opponitur falsum vero, quàm verum falso, ergo si falsum non potest contineri in vero, neque ex illo inferri, pari ratione verum non poterit contineri in falso neque ex illo inferri. Respondetur rationem differentiæ duplicem esse. Prior est, quia verum consurgit vndique ex integra causa: habet enim rationem boni. Falsum autem habet rationem mali & ex particulari defectu consurgit. Etenim vna propositio copulatiua cuius vna pars est falsa & altera vera, simpliciter dicitur tota falsa: quia talem modum habet significandi, vt non solum dicat vel repræsentet illam veritatem quam continet: sed etiam importet vtramque simul esse veram, ac propterea tota copulatiua dicitur falsa. Nihilominus si illa pars quæ vera est separetur ab altera, erit vera absolute & simpliciter. Hinc est, vt ex antecedẽti simpliciter falso possit inferri consequens simpliciter verum vt patet in consequentia, à copulatiua ad partem. Deinde etiam si antecedens nihil veri contineat, poterit aliquando ex illo inferri consequens verum. v. g. bene sequitur, omnis lapis est viuus & omnis homo est lapis ergo omnis homo est viuus. Continet enim antecedẽs, quod simpliciter falsum est, bonitatem syllogisticam & consequentiam necessariam. Et hæc est secunda ratio. Non enim necesse est vt veritas consequentis causetur ex falsitate antecedentis: sed sufficit quod assensus antecedentis si concederetur, esset causa assen-

assensus consequentis quantum ad substantiam ipsius assensus, non quantum ad veritatem contentam in consequenti. Bonitas enim consequentiæ solū pensatur ex veritate istius conditionalis, si omnis lapis est viuus & omnis homo est lapis, omnis homo est viuus. Quæ propositio vera est. Nihil enim aliud affirmat neque ponit in esse, quàm quod si antecedens concedatur debet concedi consequens propter intrinsecam connexionem medij cum extremitatibus: quæ cō nexio immediate regulatur per principium syllogismorum regulatiuum, de quo suo loco dicemus.

Capitulum quintum.



DEINCEPS ordo huius tractatus postulat vt præfatas regulas in locis argumentandi dialecticis exerceamus. In primis necesse est definire quid sit locus dialecticus. Cuius diffinitio à Cicerone in suis topicis ea est. Locus est argumentandi sedes. Vt enim earum rerum quæ abscondita sunt, demonstrato & notato loco, facilis est inuentio: sic cū peruestigare argumentum volumus, locos nosse debemus. Hæc Cicero. Ac si diceret, locus est vbi inuenitur radix & fundamentum argumentandi. Aristoteles etiam in libro 2. Rhetoricorum cap. vltimo vocat locū, elemētum, propterea quod simplex cum sit, multorum tamen est origo & initium argumentorum: sicut elementum naturale intrat in compositionem multarum rerum. Item Boetius libro 1. de differētia Topicorum, locus inquit est, id vnde ad propositam quæstionem conueniens trahitur argumentum. Nos vero hic aduertimus, quod locus dialecticus aliquando accipitur pro simplici sede siue elemento siue initio: vnde argumentū procedit. Aliquando accipitur pro tota argumentatione quæ includit tanquam partem initium seu fundamentum & sedem vnde proceditur. Quemadmodum in superioribus diximus quod diffinitio, aliquando accipitur pro oratione quæ constat ex genere & differentia, aliquando pro enuntiatione

Diffinitio loci.

quæ constat ex diffinito & diffinitione, vt homo est animal rationale. Ita etiam nunc cum quosdam locos argumentandi enarrabimus, vtemur indifferenter nomine, loci. Solent Rhetores multipliciter huiusmodi locos diuidere. In primis diuidunt locum in locum qui dicitur, Maxima, & in locum qui dicitur, Differentia maximæ, vt diuidit Boetius libro 2. Topicorum. Locus Maxima, dicitur propositio per se nota fidem alijs subministrans. Vocant propositionē per se notam, quamcunque quæ cognitis terminis ab omnibus approbatur, etiam si nō sit in se intrinsece necessaria: vt. v. g. In qualibet arte id quod maxima pars artificū dicit pro vero habendum est. Id autem quod dicitur fidem alijs subministrans, nihil aliud est, quàm continere in se virtutem probandi aliquid aliud. Deinde locus, Differentia maximæ est receptaculum plurium maximarum, qualis est locus diffinitionis, locus autoritatis. Nam ex loco diffinitionis plures maximæ solent deduci quemadmodum etiam ex loco autoritatis. Porro prosequutio huius tractatus, de locis argumentandi aliter à Dialectico aliter à Rhetorico ordinanda est. Quamobrem nos qui ad Dialecticorum vtilitatem hæc rudimenta scribimus, eos tantum locos commemorabimus, qui in schola frequētiores & vtiliores sunt. Nō enim Dialecticū aut Philosophū aut Theologum decet de locis quæ ad permouendos affectus valent, sed de illis qui ad conuincendum intellectū ordinantur, disserere. Legi atque perlegi libros octo topicorum & duos elenchorum Aristotelis in quibus infinitum fere numerum locorū argumentandi recte & sophistice inueni. Nā in solis Topicorum libris curiosi interpretes duodecim supra tercentū locos argumētādi annumerarūt. Alij qui rē dialecticā nimis rhetorice tractauerunt ad plures quā viginti argumētādi locos reduxerūt. Nobis tamē octo capita siue fundamēta varie argumētandi sufficere videtur dialectico qui ad Theologiā siue Philosophiā properat.

Primus & potissimus locus est Diffinitio.

Primus locus dialecticis & Rhetoribus communis est ex diffinitione & appellatur ab eis locus diffinitionis. Siue argumētatio quæ ex diffinitione deriuatur. Omnia enim dubia emergētia circa vnāquāque rem ex diffinitione soluenda sunt, vt habemus ex Aristotele. Hic locus argumētandi multipli-

tipliciter exercetur. A diffinitione ad diffinitum & vice versa efficax argumentum est. Deinde à negatione diffinitionis ad negationem definiti & vice versa efficaciter concluditur. Item à diffinitione ad definitum cum eodem addito & viceuersa, bona erit consequentia. v. g. est homo albus ergo est animal rationale album. Amplius, A negatione vnius partis diffinitionis ad negationem diffiniti certa consequentia est, si enim vna pars diffinitionis negatur de aliquo non poterit ei tota conuenire, ac proinde nec diffinitum. Verũ vice versa à negatione diffiniti ad negationem cuiuslibet partis diffinitionis, non erit bona consequentia, vt si arguas nõ est homo ergo non est animal: sed à negatione diffiniti ad negationem differentiæ adæquatæ, quæ est in diffinitione bona erit consequentia & vice versa. v. g. Non est homo ergo nõ est rationale. Denique à diffinitione ad propriã passionem diffiniti & vice versa bona fit consequutio, vt est animal rationale, ergo est risibile. Hæc vniuersalia documenta intelligẽda sunt, nisi forte committatur aliquis defectus logicalis, vt in sequẽtibus patebit ¶ Secundũ caput est pro consequentijs quæ procedũt ex bona diuisione alicuius communis diuisibilis. Quæ consequenti multis modis variantur. In primis à diuiso ad ipsam diuisionem, quæ disiunctim continet partes diuidentes, & vice versa bona fit consequẽtia. v. g. est animal ergo est rationale vel irrationale. Deinde à negatione diuisi ad negationẽ diuisionis sub eadem forma. v. g. Non est animal ergo non est rationale vel irrationale. Verum à negatione vnius partis diuisionis ad negationem diuisi non est bona consequentia; quamuis vice versa bona sit. Ratio est quia singula membra diuisionis sunt inferiora respectu diuisi. Hæc duo capita argumentandi frequentissima sunt & in promptu habenda; non solum in Dialectica sed in omni superiori disciplina. *Secundus locus à diuisione.*

Tertium caput arguendi sit ex qualitate propositionis affirmatiuæ vel negatiuæ, vnde sæpe sumitur argumentum: & hoc dupliciter vel ab affirmatiua ad negatiuam vel à negatiua ad affirmatiuam, quibusdam præscriptis legibus. *Tertius locus.*

Ab affirmatiua ad negatiuam.

Sit igitur prima regula. Ab affirmatiua ad negatiuam præ

dicato variato penes finitũ & infinitum bona erit consequẽtia. v.g. homo est albus ergo homo non est non albus. Similiter homo est non albus ergo homo non est albus. Secunda regula. A negatiua ad affirmatiuã variato prędicato de finito in infinitũ & de infinito infinitũ, bona erit consequẽtia, dũmodo in antecedenti ponatur constantia subiecti iuxta exigentiam temporis importati per copulam. Constantiam dicimus propositionem affirmatiuam quæ importat existentiam rei significatæ per subiectum propositionis negatiuæ ex qua fit consequutio ad affirmatiuam. Ecce exemplũ. Homo non est albus & homo est, ergo homo est non albus. Si enim non poneres constantiam illam; & homo est, dabitur antecedens verum & consequens falsum, nullo existente homine in rerum natura quoniam antecedens verificabitur per non suppositionem extremorum, cum sit pure negatiuum, consequens vero erit falsum cum sit propositio affirmatiua de subiecto non supponente. Sed contra. Hæc est mala consequentia, omnis homo non fuit albus & homo est, ergo omnis homo fuit non albus. Igitur regula non est certa. Antecedens probatur, nam antecedens erit verum & cõsequens falsum in casu quo nullus homo antecesserit & modo sint homines. Respondetur, Hoc argumentum non esse instantiam contra regulam: quia constantia non ponitur iuxta exigentiam copulæ, propterea quod subiectum illud supponit seu potius accipitur ratione Ampliationis pro omni homine qui est vel fuit. Quocirca constantia debet poni vniuersaliter pro omni homine qui est & fuit: sic vt ponatur existentia etiam pro tempore præterito. Erit igitur hæc legitima constantia, omnis homo fuit. Obseruandum est enim, constantiam semper debere esse vniuersalem: nisi quando particularis propositio æquiualet vniuersali, verbi gratia In illa prima consequentia homo non est albus & homo est, ergo homo est non albus, illa cõstantia, homo est, æquiualet huic in materia omnis homo est. Sed cũ copula de extrinseco tẽpore non æquiualet constantia particularis vniuersali. Hic modus argumentandi desumptus est ab Aristotele libro 2. Periher, & fundatur in hoc quod termini contradictorij nõ possunt de eodem verificari. Fundatur etiam in eo quod de

qua-

qualibet re existenti alterũ terminũ ex duobus contradicto rijs necesse est affirmari. v.g. si Petrus est, & non est albus, er go est nõ albus. Aliàs vel darẽtur duæ contradictoriæ simul veræ vel falsæ. Sed obijcit aliquis hanc doctrinã locũ habere quãdo subiectũ est singulare vel distribuitur. At vero quãdo subiectũ est cõmune & accipitur determinate vel indefinite, non poterunt inferri duæ cõtradictoriæ sed duæ subcõtrariæ quæ possunt esse simul veræ, vt homo est nõ albus & homo nõ est nõ albus. Respondetur nihilomin⁹, quod si ex illa in definita homo est albus nõ inferretur ista, ergo homo nõ est nõ albus, probaremus duas cõtradictorias veras in hac forma. Detur antecedens verũ & consequens falsum, iã contradictoriũ consequentis erit verũ, scilicet omnis homo est nõ albus. Ex quo infertur contradictoria antecedentis, scilicet, omnis homo non est albus. Et eadem est ratio argumentãdo à negatiua ad affirmatiuã posita constantia legitima subiecti, vt ipse poteris exercitio experiri. Quartum caput & genus argumentandi est in hypotheticis. De industria etenim prætermittimus aliũ modum argumentandi in cathegoricis, qui est per conuersionem & permutationem extremorũ faciendo de subiecto prædicatum & de prædicato subiectum. Nam de hoc opportunius ad ministerium syllogismorũ agẽdum est in libro quinto. Nũc autem circa hypotheticas quædam regulæ notandæ sunt. Prima est. A copulatiua, cuius copula constituens copulatiuam non negatur, ad partem copulatiuæ semper est bona consequentia. v.g. Petrus non currit & Paulus disputat, licebit inferre vtram velis partem copulatiuæ. Quoniam ad veritatem copulatiuæ, vt diximus, requiritur vtriusque partis veritas. Diximus tamen Cuius copula coniunctiua non negatur; nam quando negatur, æquiualet coniũctioni disiunctiuæ, vel. Est exẽplum. Non Petrus disputat & Paulus loquitur. Vbi si negatio feratur in totam copulatiuam, æquiualet huic, Petrus non disputat vel Paulus non loquitur. Secunda regula. A parte disiunctiuæ ad totam bona est consequentia. Ratio est quia hæc est natura disiunctiuæ, vt ad sui veritatem sufficiat vnicam partem esse veram licet habeat plurimas partes. v.g. Petrus est homo vel Paulus disputat vel equus est lapis. Tota disiunctiua dicitur

Quartus locus quinq; regulis continetur.

vera à veritate vnius partis. Nam ille qui sic loquitur non asseuerat singulas partes esse veras, sed dumtaxat vnam in confuso enuntiationem. Et iurare potest in illa disiunctiua se verum dixisse. Hæc regula etiam debet intelligi dummodo cõiunctio disiunctiua non negetur: tunc enim æquiualet copulatiuæ. Exemplum sit. Non Petrus disputat vel homo est lapis, æquiualet huic. Petrus non disputat & nullus homo est lapis. Negatio enim præposita quidquid post se inuenit destruit & eius oppositum ponit. Tertia regula. Ab hypothetica causali vel rationali ad hypotheticam copulatiuam bona est consequentia. Ratio est. Nam causalis & rationalis vltra bonitatem consequentiæ postulant vtramque partem verã esse: Id quod sufficit ad veritatem copulatiuæ. Quarta regula. A causali ad rationalem & à rationali ad conditionalẽ bona est consequentia. Ratio est quia quidquid requirit conditionalis ad sui veritatem, requirit etiam rationalis & aliquid amplius, & rursus quidquid requiret rationalis, requirit etiã causalis, & aliquid amplius. Igitur quotiescunque fuerit vera causalis, etiam erit vera rationalis, ac multo magis erit vera conditionalis. Sed vice versa nulla erit consequentia, quoniam antecedens minus postulat ad sui veritatem quam consequens, ac proinde facile dabitur verum antecedens consequente existente falso: quod est contra primum principium bonitatis consequẽtiæ. Quinta regula. A copulatiuã ad hypotheticam illatiuam & a cõditionali ad copulatiuam semper est mala consequentia. Ratio est, quia copulatiua nõ postulat vt altera pars inferatur ex alia, id quod requiritur ad hypotheticã illatiuam. Rursus conditionalis nullius partis veritatem exigit vt sit vera: copulatiua vero vtramque partem veram esse requirit, quo fit vt à neutra hypothetica ad alteram fiat bona consequutio, & eadem ratione neque a disiunctiua ad conditionalem, neque a cõditionali ad disiunctiuam fiet consequẽtia bona. Reliqua vero si forte alia sint consideranda in argumentatione ab hypothetica ad hypotheticã facile dignoscentur ex documentis supra positis, si aduerterit Dialecticus requisita ad veritatem singularum hypotheticarum.

Quinto loco visum est collocare ordinem cõsequentiarũ

quæ

quæ fiunt ex parte acceptionis & ſuppoſitionis terminorum. De quibus prima regula ſit. Quotieſcunque variatur ſuppoſitio termini ſecundum differentias duarum diuiſionum quæ primæ poſitæ ſunt, videlicet, ſuppoſitionis in propriã, & impropriam, & ſuppoſitionis propriæ in materialem ſimplicem & perſonalem; non eſt bona conſequentia. Ratio communis huius regulæ eſt: quia in tali variatione aut eſt æquiuocatio vocis aut quaſi æquiuocatio. Quando enim terminus in vna propoſitione proprie accipitur & in alia improprie, conſtat eſſe ęquiuocationẽ. Itẽ cum terminus ſupponit materialiter pro ſe in vna propoſitione, & in alia pro re ſignificata, etiã eſt æquiuocatio: nã alio cõceptu ſe repræſentat & alio rẽ. Denique cum in vna propoſitione accipitur ſimpliciter & in alia perſonaliter, eſt quaſi æquiuocatio. Nã tametſi eodẽ conceptu mediante nomen accipiatur ſimpliciter vel perſonaliter: tamen ex vi alterius dictionis quæ appellat ſupra ſignificatum illius termini ratione proprij conceptus rei, ita vt prædicatum denotetur conuenire rei ſignificatæ, non prout eſt realiter in ſe, ſed prout eſt in illo conceptu adæquato: perinde eſt ac ſi terminus æquiuoce variaretur, quando trãſit de ſimplici ſuppoſitione ad perſonalem aut vice verſa. Hic defectus coincidit cum alio de quo paulo poſt dicemus, qui eſt variatio appellationis. De ſuppoſitione vero naturali & accidentali nõ aſsignamus modo regulã argumẽtandi: quia hæc differentia reducitur ad modũ argumentãdi ab amplo ad nõ amplũ, vel à nõ reſtricto ad reſtrictũ: vt in hac cõſequẽtia, omne animal currit, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo currit. In qua cõmittitur defectus nõ ſolũ intrinſecus, quia mediũ vbi nõ diſtribuitur tenetur minus reſtricte quã vbi diſtribuitur vt lib. 5. dicem9, ſed etiã extrinſecus ex parte termini, homo, qui in antecedẽ nõ coarctatur, ſed abſoluitur ab exiſtẽtia præſentis tẽporis, & ſupponit pro omnibus ſuis ſignificatis ſiue exiſtãt ſiue nõ exiſtãt: ſed in cõſequẽti nõ accipitur niſi pro nũc exiſtẽtib9. Vnde defectus illius cõſequẽtię eſt ab amplo ad non amplũ affirmatiue ſine conſtantia non ampli vt ſtatim videbimus.

Dicamus conſequenter de conſequentijs quę pertinent ad modum argumentandi cum variatione ſuppoſitionis

termini penes diſtributionem vel non diſtributionem & cõfuſionẽ. Secunda regula. A termino diſtributo ad ipſum nõ diſtributum bona eſt cõſequẽtia, nõ tamẽ vice verſa v.g. bene ſequitur omnis homo currit, ergo homo currit nõ tamen è contrariò Sed contra. Iſta cõſequentia nõ valet, omnis homo eſt indiuiduũ ergo homo eſt indiuiduũ, igitur regula deficit. Reſpondetur illã conſequentiã non valere, quia eſt cõtra primã regulã. Nam hæc ſecunda illã præſupponit & duntaxat locum habet in ſuppoſitionibus perſonalibus. Tertia regula. A ſuppoſitione cõfuſa ad determinatam mala eſt cõſequentia. v.g. omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt omnis homo. Ratio huius regulæ eſt, quoniã antecedens ex parte confuſæ ſuppoſitionis prædicati poterit verificari ſiue pro vno determinato animali ſiue pro diuerſis ſingularibus: at conſequens coarctatur vt verificetur ad vnicum tãtũ animal, quod omni homini debet competere. Vnde facilius reddetur verum antecedens quam conſequens. Sed contra hæc eſt bona conſequẽtia, omnis homo diſputat ergo homo diſputat: & tamen argumentamur ex parte prædicati à confuſa ad determinatã ergo regula deficit. Reſpondetur regulã eſſe intelligendã, quando proceditur à cõfuſa ſuppoſitione reſpectu alterius termini diſtributi, ad determinatã reſpectu eiuſdẽ termini diſtributi: & quia in conſequenti illius cõſequentiæ nulla eſt diſtributio, non poteſt cõmitti iſte defectus. Sed replicatur. Hæc cõſequentia nihil valet; Requiritur equus ad equitandũ ergo aliquis equus determinatus requiritur ad equitandũ, & tamen in conſequenti nulla eſt diſtributio ergo inſufficiẽs eſt intelligentia. Reſpõdetur quod verbũ, requiritur, eſt de ſignis ſpecialibus cõfuſionis cõfundentibus terminũ poſt ſe poſitũ: & quia idẽ verbũ; Requiritur, manet in conſequẽti reſpectu cuius idẽ terminus qui in antecedenti ab illo cõfundebatur, manet determinate reſpectu illius; perinde eſt ac ſi maneret diſtributio à qua in altera conſequentia confundebatur. Sit igitur intelligẽtia adæquata regulæ. Quando in conſequẽti manet ſignũ quod erat cauſa confuſionis termini in antecedenti poſiti. & idẽ terminus manet determinate reſpectu eiuſdẽ ſigni; tunc fit mala argumentatio à confuſa ad determinatã. Verũtamen à determinata

nata

nata ad confusam bona est cõsequētia. Ratio est quia plus requiritur ad veritatē antecedentis ex parte termini determinate supponentis, quam ad veritatē consequentis in quo idē terminus confuse supponit. Sed hoc intelligitur nisi varietur appellatio, qualis inuenitur specialiter in verbo; Promitto, & me obligo, quia vt supradiximus, hæc consequentia nõ valet; Aliquē equū determinatū tibi promitto, ergo promitto tibi equū: propterea quod est maior obligatio quæ requiritur ad veritatē consequentis, quā ad veritatem antecedētis, & poterit dari antecedens verū, si absque culpa promittētis moriatur particularis ille equus, & cõsequēs erit falsum. Nā si promisisset equū, maneret obligatus adhuc, illo mortuo, dare equū: Sed non obligabitur, ergo non promisit equum. Deniq; non opus est alia regulā constituere de suppositione termini indefiniti & de suppositione termini affecti signo particularitatis. Etenim cæteris paribus æquiualent propositiones in quibus hæc sola variatio inuenitur. v.g. Quidam homo currit & homo currit, æquiualentes sunt. Imo quantū libet terminus cõmunis huiusmodi signo adiungatur poterit confundi, sicut si non adiungeretur cum illo. v.g. Hæc est vera, omnis homo est aliquod animal. Vbi signū, aliquod, nihil aliud determinat quā insinuare quod cū dicimus omnis homo est aliquod animal, requirit ad sui veritatē q quilibet homo designatus sit aliquod animal in particulari. Nā animal vniuersale non distinguitur realiter à singulis animalibus: neque enim est idea communis à parte rei quæ prædicetur cõmuniter de singularibus, sicut Platonē sensisse opinatur Aristoteles. Hoc tamen documentum videtur habere exceptionem in enuntiationibus doctrinalibus, in quibus præceptores & legislatores indefinite loquuntur: sed vniuersaliter intēdūt definire vel leges ferre. v.g. hæc propositio, Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, doctrinalis est: in qua præceptor de omni triangulo loquitur & promittit se demonstrare habere tres angulos æquales duobus rectis. Similiter dicit legislator, homo qui arma ad hostes transtulerit occidatur: quæ loquutio vniuersali æquiualet.

Caput sextum.

SExto loco de argumẽtatione, quæ dicitur inductio, opportune dicemus. De quo modo argumẽtandi meminit Arist. lib. 1. topicorũ. A cuius diffinitione incipiẽtes, dicimus. Inductio, quę & ascensus à Modernis dicitur, est à singularibus ad vniuersale progressio. Moderni adijciunt a singularibus sufficienter enumeratis. v. g. Iste ignis calefacit, & iste, & ille, & sic de singulis, ergo omnis ignis calefacit. Alij vero non solum a singularibus indiuiduis progressum inductione fieri affirmant, sed etiam ab speciebus ad genus progressum, inductionem vocant. v. g. omne animal nutritur, & omnis planta nutritur ergo omne viuens nutritur, & in vniuersum omnem progressionem ab inferioribus ad superius factam vocant inductionem. Verum inter dialecticos magis vsitata est inductio quæ ab indiuiduis ad aliquid illis commune procedit. Hunc modun argumentandi tanquã primo autori ascribit Aristoteles Socrati vt patet libro. 12. Meth. c. 4. quia Socrates primus inuenit ac diffiniuit vniuersalia quæ ex singularibus inductione facta colligebat. Hic modus confirmandi valde accommodatus est ad sensum à quo omnis nostra cognitio originem trahit. In inductione obseruandum est vt omnia singularia numerentur quæ commode commemorari possunt: sin autem sine fastidio numerari nequeunt, tunc addendũ est, & sic de singulis. Diuiditur vero inductio in affirmatiuã & negatiuam: vtroq; enim modo fieri potest progressio à singularibus ad vniuersale. Sed antequam ostẽdamus, an inductio sit formalis consequentia prius de descẽsu, qui vice versa procedit, dicamus. Descensus diffinitur, ab vniuersali ad singularia sufficienter enumerata progressio v. g. omnis mater diligit filiũ suum, ergo hæc mater diligit filiũ suũ, & ista, & illa, &c. Diuiditurq; sicut ascẽsus in affirmatiuũ & negatiuũ. Alia diuisio tã ascẽsus quã descẽsus est secũdũ differẽtias suppositionis termini cõmunis distributi, vel nõ distributi, vel cõfuse supponẽtis. Hac via est prima species ascẽsus copulatiuus, quãdo fit progressio à singularibus copulatiue numeratis per propositionẽ copulatiuã v. g. hic ignis calefacit & iste ignis calefacit & sic de singulis

Quid inductio siue ascensus.

Quid descẽsus.

gulis,ergo omnis ignis calefacit. Et similiter negatiue fieri potest v.g. hęc nix nõ calefacit, neq; ista, neq; illa, ergo nulla nix calefacit. Altera forma est ascẽsus siue affirmatiui siue negatiui, quãdo proceditur disiunctiue per propositionẽ disiũctiuã, vel procedẽdo à singularibus ad cõmune, vel à cõmuni ad singularia. v.g. Iste homo est alb⁹, vel iste homo est albus, ergo homo est alb⁹. Aut vice versa homo est albus, ergo iste homo est albus, vel iste homo est albus, vel sic de singulis. Alius est ascensus, vel descẽsus procedẽs nõ per propositiones copulatiuas, vel disiũctiuas, sed per terminos singulares copulatim, vel disiũctim acceptis. v.g. Iste homo, & iste homo, & iste homo & sic de singulis currit, ergo omnis homo currit. Itẽ Petrus, vel Ioannes, vel Frãciscus, currit ergo homo currit, Sed est obseruandũ quãdo singularia numerantur cõiuncta per coniunctionẽ, &, dupliciter posse accipi coniunctionẽ illã; vno modo collectiue, vt in hac; Iste Apostolus & iste Apostolus, &c. sunt duodecim, ergo oẽs Apostoli sunt duodecim. Altero modo cõiunctio, &, diuisiue accipitur quãdo denotatur prędicatũ singulis partibus copulati cõuenire, vt in hac, hic homo, & iste homo & ille, &c. est doctus, ergo omnis homo est doctus. Verũ hic modus inductionis æquiualet copulatiuo ascẽsui. Hic obiter aduerte coniunctionẽ illã, &, quãdo copulatim diuisiue accipitur reputari vniuersalitatẽ, neq; effici partẽ extremi id quod lib. 4. de oppositionibus amplius explicabitur. Etenim hæ duæ propositiones cõtradictoriæ sunt Petrus, & Paulus currit, Petrus vel Pualus nõ currit, ergo participãt in subiecto, ergo, cõiunctio, &, nõ efficitur pars subiecti, sed est vniuersalitas ac si diceres omne ꝙ est Petrus, vel Paulus currit: & in sua cõtradictoria mutatur in particularitatẽ, vel, & totũ subiectũ est terminus communis: ac si diceres aliquid ꝙ est Petrus, vel Paulus nõ currit. Habet enim duo supposita subiectũ vtriusq; propositionis, non obstante quod partes illius subiecti sunt termini singulares. His ita constitutis, necesse est secernere singulos ascensus, vel descensus & illorũ vsum pro terminis varie supponentibus, accommodare per certa quædam documenta.

Primũ documentũ sit. Ascensus vel descensus copulatiuus est accõmodatus termino supponenti distributiue, siue affir-

matiuus siue negatiuus sit progressus. Secundũ documentũ. Ascensus vel descẽsus disiunctiuus debitus est termino supponenti determinate. Tertiũ documẽtũ. Ascensus vel descẽsus copulatim progrediens & diuisiue poterit accommodari termino supponenti distributiue: quia reuera æquiualet copulatiuo. Quando vero, Et, accipitur collectiue, est accõmodatus termino cõmuni cui adiungitur syncathegorema, omnes, vel, omnia, nõ distributiuè sed collectiue acceptum. v. g. in hac propositione, omnes Planetę sunt septẽ, collectiue accipitur syncathegorema, omnes: cui talis ascensus vel descensus debetur, hic Planeta & hic Planeta (numerãdo singulos) sunt septẽ. Quartum documentum. Termino supponenti cõfuse accommodant aliqui ascensum vel descensum disiũctũ, nõ disiunctiuũ. v. g. si dicas, omnis homo est animal, loco prædicati licebit ponere vnum disiunctũ cõplexũ; Hoc pacto; omnis homo est hoc animal vel hoc animal vel hoc animal vel sic de alijs. Sed profecto talis ascensus vel descensus inutilis est, quia magis confuse supponit illud disiunctũ quàm simplex prædicatum, animal. ¶ Quæstionẽ celebrẽ, An Inductio & descensus sit semper bona & formalis cõsequentia, libet in hoc loco breuiter disputare. Pro cuius intelligẽtia notãdũ est, cõsequẽtiã diuidi in cõsequẽtiã bonã simpliciter & infallibilẽ, & in cõsequentiã bonã secundũ quid. Cõsequẽtia bona simpliciter & infallibilis solet dici cõsequẽtia formalis: & est ea in qua neq; in se neq; in alia similis formæ potest dari antecedens verum & consequens falsum v. g. omnis homo est lapis, omnis arbor est homo ergo omnis arbor est lapis. De industria exemplum posui in propositionibus impossibilibus, vt sciat Dialecticus, nõ curandũ esse de veritate aut falsitate propositionũ, quando agitur de formalitate cõsequẽtię. Deinceps cõsequẽtia bona secũdũ quid, est duplex. Altera est, quæ in certa quadã materia nõ patitur antecedẽs esse verum & consequens falsum. Qualis est hæc. Homo est animal, ergo omnis homo est animal, At vero in alia materia in simili forma dabitur antecedens verum & consequens falsum. Vt in hac. Homo est doctus, ergo omnis homo est doctus. Alia consequentia dicitur bona secũdũ quid, quæ probabiliter sed non infallibiliter procedit. Et tales con-

consequentiæ sunt quæ solent procedere ab effectibus, qui vt in plurimum solent esse indicium aliorum euentuum, vel aliquarum causarum. Nihilominus contingit dari aliquã do antecedens verum & consequens falsum. v. g. cœlum vespere rubicundum est, ergo altera die erit serenitas. Flat Auster ergo pluuia cito erit. Et multæ aliæ similes consequentiæ, quibus opiniones generantur ex antecedentibus verosimilibus. Nota secundo, consequentiam formalem esse quæ in omni materia & in omnibus terminis similis formæ semper bona est. Similitudo autem formæ inter duas consequẽtias debet considerari secundum qualitatem & quantitatem propositionum & secundum omnem modum suppositionis terminorum: & secundum easdem proprietates logicales & insuper seruari debet idem locus & eadem forma argumentandi. v. g. si vna procedit à diffinitione ad diffinitum, & altera sic debet procedere à diffinitione ad diffinitum. Si altera syllogistice in certa figura & modo: similiter & altera in eadem figura & modo debet fieri. Si vero aliqua consequentia non tenet per aliquem modum dialecticum aut rhetoricum, non cogitur qui illam negat aliam proferre similis formæ quæ per aliquem locum dialecticum aut rhetoricum procedat. Variatio denique materiæ naturalis aut accidentalis nõ tollit similitudinem formæ consequentiarum. His ita constitutis, ad propositam quæstionem respondetur, & sit prima conclusio. Inductio siue ascensus non semper est formalis cõsequentia. Probatur primo Aristotelis autoritate, qui inductionem inter Topicos arguendi modos annumerauit: neq; vsus est illa particula, & sic de singulis; nisi forte intelligendo de singulis quæ experimur. Secundo probatur; nam si illa particula, & sic de singulis, talem habeat sensum: & sic de singulis omnibus siue quæ experimur siue quæ non experimur, esset inutilis modus arguendi. Nam quod intendimus probare præsupponitur in antecedenti. Proportionabiliter dicimus, quando in Inductione ponitur constantia, vt aiunt esse necessariam in ascensu disiunctiuo negatiuo. Idẽ enim inconueniens sequitur: nam asserere in constantia in antecedenti, & isti sunt omnes homines; hoc ipsum magis difficile est, quàm consequens probandum. Ex dictis sequitur quod

Quid sit similitudo formæ.

vis

vis & vtilitas inductionis ea est, vt ex singularibus omnibus quæ experimur inferatur vniuersalis siue affirmatiua siue negatiua tanquã valde vero similis: maxime si non appareat ratio quare non ita se res habeat in eis quæ non experimur, sicut in illis quæ experimur. v.g. siquis ita processerit: hic coruus est niger & hic alius est niger & sic de omnibus quos sensu cognoscimus, ergo omnis coruus est niger. Profecto hic discursus nõ necessario cõuincit intellectũ. Nã pari ratione AEthiops, qui nunquã viderit hominẽ albũ colliget omnẽ hominẽ esse nigrũ. Nihilominus probabiliter cõcluditur omnẽ coruũ esse nigrũ. Si itaque hoc modo intelligatur inductio, in sola copulatiua inductione siue affirmatiua siue negatiua locũ habet nostra intelligentia. Ratio est quia inductio disiunctiua ex qualibet parte antecedentis efficit quod intendit. v.g. hic homo est albus vel hic homo est albus ergo homo est albus. Neque enim opus est numerare omnes singulares vel dicere, vel sic de singulis. Et idcirco neq; vera inductio est neq; vtilitatem habet in vi inductionis. Valet enim cõsequẽtia illa per aliũ locũ argumentandi ab inferiori ad suũ superius vt statim videbimus. Secunda conclusio. Siquis spernens vtilitatẽ inductionis velit ascensum necessariã consequẽtiã aut etiã descensum efficere, necesse est vt in ascensu copulatiuo affirmatiuo ponat in antecedenti illã particulam & sic de singulis, quæ quidẽ sufficit absque constãtia necessariam consequentiam efficere. Sed est obseruandum particulam illam; & sic de singulis, debere in sua communitate manere pro omni tempore. Nam si determinaretur duntaxat ad omnia singularia, quæ sunt in hoc instanti; facile daretur antecedens verum & consequens falsum in euentu in quo omnes homines qui sunt in instanti. B. sint albi, & illis permanentibus, crastina die nascantur alij nigri. Tunc enim consequentia ascensus copulatiui quæ fit in instanti. B. maneat scripta, profecto crastina die antecedens erit verum & consequens erit falsum. Id quod in hoc exemplo videre licet. Iste homo est albus, & iste homo est albus & sic de singulis qui fuerint demonstrati in instanti, B, sed consequens erit falsum ergo omnis homo est albus. Non igitur debet coarctari particula, & sic de singulis, ad eos duntaxat qui exi-

existebant in instanti B; sed debet manere absolute in communitate suæ significationis. Et tunc bona erit consequentia & antecedens erit falsum pro illa particula; & sic de singulis. Nam demonstratis nigris falsum est, hic homo est albus. Erit tamen inutilis ille modus argumentandi. Proportionabiliter hoc ipsum experieris in ascensu copulatiuo negatiuo: in quo debet poni particula, & sic de singulis, in eodem sensu. Tertia conclusio. In descensu affirmatiuo copulatiuo, v.g. omnis homo currit, ergo iste homo currit & iste homo currit, si quis velit efficere bonam consequentiam in qua nõ possit dari antecedens verum & consequẽs falsum, debet ponere in antecedenti constantiam hanc, & isti homines sunt omnes homines, videlicet isti homines demonstrandi. Verũ tamen inutile fit argumentum & ridiculum.

Quarta conclusio. In ascensu disiũctiuo negatiuo est etiã necessaria constantia, ne detur antecedens verũ & consequẽs falsum. v.g. Iste homo non currit, vel hic homo nõ currit ergo aliquis homo non currit: nisi ponas constantiã, & isti homines sunt omnes homines; erit mala consequentia & crastina die antecedens erit verũ & consequens falsum: si omnis, vel aliquis homo eorum qui demonstrati sunt, moriatur, & crastina die omnis homo currat. Si autem posueris constantiam in antecedenti iam erit falsa constantia: ac proinde non dabitur antecedens verum & consequens falsum.

Quinta conclusio. Ascensus siue descensus disiunctus erga terminum supponentem confuse, immediate quidem fieri potest; nec dabitur antecedens verum & cõsequẽs falsum: sed est inutilis processus, quia tam confusum manet disiunctum, quam erat ipse terminus simplex supponens cõfuse, verbi gratia omnis homo est animal, ergo omnis homo est hoc animal vel hoc animal, vel sic de singulis. Hic autem obserua, quod resolutio termini supponentis confuse à signo vniuersali non potest resolui per ascensum vel descensum, priusquam resoluatur illa vniuersalitas per ascensum vel descensum. Et tunc iam ablata est confusio termini & supponit determinate. Quando vero confusio prouenit à signo speciali cõfusionis, vt in hac propositione; Requiritur equus ad equitãdũ; non solum non potest immediate

diare fieri descensus supra terminum confusum ; sed si aliqua explicatio debet fieri illius propositionis, ea erit per cõditionalem, si equitatio fit equo fit. Et nihil aliud est necessarium ad veritatem illius propositionis, Requiritur equus ad equitandum, quam bonitas illius consequentiæ conditionalis. Sunt tamen alia signa specialia confusionis, quæ non habent eandem explicationem. v. g. promitto tibi equum : teneor dare eleemosynam pauperi. Hæc non opus habent alia explicatione quàm quæ habetur ex commmuni intelligentia sapientum. Non enim poteris inferre ex illis propositionibus, ergo promitto tibi istum equum, neque ergo teneor dare elemosynam huic pauperi vel huic pauperi. Quãuis enim dando vnum equum singularem adimpleo promissum, & similiter dãdo eleemosynã huic pauperi adimpleo præceptũ, quia non possum dare duobus ; tamen in mea electione est eligere vel equum singularem vt adimpleam promissum vel pauperem singularem cui conferam eleemosynam & adimpleam præceptum. Denique circa confusionem termini à signo vniuersali prouenientem obserua quod si facias descẽsum immediatè circa ipsum terminum disiunctiue procedendo committes defectum qui dicitur ab vnica distributione ad plures. v. g. omnis homo est animal, ergo omnis homo est hoc animal, vel omnis homo est hoc animal: vel sic de singulis. Similiter etiam obserua in ascensu copulatiuo sub termino stante distributiue priusquam sub termino stante determinate committi alium defectum qui dicitur, à pluribus determinatis ad vnicam. v. g. homo non est hoc animal, & homo non est hoc animal, &c. ergo homo non est animal antecedens est verum & consequens falsum vt patet neque ob alium defectum nisi propterea quod fit argumentum à pluribus determinatis ad vnicam.

Defectus ab vnica distributione ad plures.

A pluribus determinatis ad vnicam.

(.:.)

Caput septimum.



SEPTIMO loco de recto modo argumentandi in a ijs proprietatibus logicalibus, scilicet, in Ampliatione & Restrictione & Appellatione: ac de defectibus qui in eisdem solent contingere, dicendum nobis est. Et quidem quæ sint hæ proprietates logicales Ampliatio Restrictio & Appellatio, dictum est libro secundo. Nunc autem documēta recte argumentandi in illis proprietatibus proferamus. Notandum vero est, eandem esse proportionem argumentā di inter hæc omnia, Ab amplo ad non amplum siue ad minus amplum, siue ad restrictum. Item argumentari à non restricto ad restrictum siue ad magis restrictum, eādem habet proportionem. Item argumentari à superiore vel communiore ad inferius vel minus commune, eadem etiam est proportio cum prædictis, & eadem requiruntur ad bonitatem consequentiæ: & similes defectus committuntur, eademque documenta pro istis omnibus modis argumentandi deseruient. Et vt breuius agamus, & distinctius intelligas ea documenta; statue tibi litteram, A, significantem amplum siue minus restrictum siue non restrictum siue superius vel cōmunius. Literam vero, B, sit significatiua non ampli vel minus ampli vel restricti vel magis restricti, vel inferioris vel minus communis.

Hoc ita constituto sit primum documentū. Processus ab, A. in, B, affirmatiuus, vt sit bona consequentia, debet fieri cū distributione ipsius, A, & constantia, B; aliàs erit mala consequentia: Si deficiat distributio vel constantia. Sit exemplū bonæ consequētiæ. Omnis homo currit & homo albus est, ergo omnis homo albus currit. Si autem abstuleris distributionem ab, A, vel non apposueris constātiam, B, facile dabis tu antecedens verum & consequens falsum.

Secundum documentum. Si processus ab, A, in, B, fiat negatiuus, non opus est constantia, B: sed sufficit & requiritur distributio ipsius, A. Exemplum est: Nullus homo currit ergo nullus homo albus currit. Item nullus homo potest

currere, ergo nullus homo currit. Tertiũ documẽtũ. Si processus fiat à, B, in A, affirmatiue: nihil aliud requiritur quam quod nõ distribuatur, A, v.g. homo albus currit ergo homo currit. Itẽ homo est albus ergo homo possibiliter est albus. Quartũ documẽtũ. Processus negatiuus à, B, in A, requirit vt sit bona consequẽtia, ꝙ adsit cõstantia ipsius, B, & quod non distribuatur. A, & sic est bona hæc consequẽtia: homo albus non currit & homo albus est, ergo homo non currit. Sed si nõ ponatur cõstantia, facile dabitur antecedens verũ & consequens falsum, si nullus homo albus sit & omnis homo currat. Similiter hæc est mala consequentia; Currens non est album ergo currens possibiliter non est album, nã antecedens est verum; si nullum animal currat & cõsequens falsum, nam eius contradictoria est vera, omne currens possibiliter est album.

Circa prædicta documenta duo cauẽda sunt, alterum est, ne forte seruatis documentis ex parte vnius termini, nõ seruentur ex parte alterius, vel aliquis alius defectus committatur. Alterum est ne forte constantia imperfecta sit non cõplectens supposita pro quibus consequens potest reddi falsum. Debet enim poni constantia vniuersaliter pro quolibet supposito pro quo potest reddi consequens falsum. Nihilominus quia constantia præsentis temporis sine distributione subiecti quantum ad rationem præcise existendi, æquiualet vniuersali; non est cõsuetum ponere illã cum distributione. Idem enim est dicere homo existit, & omnis homo existit. Et hic defectus distributionis cõstantię apparet, si argumentemur à negatiua ad affirmatiuam cum copula de extrinseco temporé, prædicato variato penes finitum & infinitum, verbi gratia hæc cõsequentia non valet: Homo non fuit albus & homo est ergo homo fuit non albus. Cuius antecedens erat verum in primo instanti creationis Adam, vt patet. Sed constantia ponenda est secundum exigentiam copulæ de præterito, & idem homo fuit, vel omnis homo fuit.

Regulæ contra argumentacũ variatione appellationis.

Circa modum procedendi in appellationibus terminorum, quædam breuiter necesse est aduertere: quæ potius pertinent ad malitiam & fallaciam consequentiarum, quàm

ad

ad legitimum locum argumentandi. Vnde sit Prima regula. Quotiescunque variatur appellatio realis efficitur mala consequentia, verbi gratia, Petrus est magnus logicus ergo Petrus est magnus. Nec vice versa. Petrus est magnus, & est logicus, ergo est magnus logicus. Excipiunt aliqui, nisi forte consequentia teneat per alium locum: vt hæc consequentia est bona, Deus necessario est creans, ergo Deus possibiliter est creans: quia procedit à subalternante ad subalternatam, Non obstante quod, necessariò, appellat necessitatem supra significatum formale prædicati. Veruntamen non existimo illam esse formaliter appellationem, Ratio est, quia modus ille, Necessario, vnionem prædicati cum subiecto modificat secundùm significationem prædicati siue sit absoluta siue connotatiua: ac proinde virtualis quædam appellatio est supra actualem creationem importatam per illud participium: creans. Concedimus itaque hanc esse exceptionem regulæ: quia reuera illa appellatio magis est restrictio: & consequentia tenet sicut processus à, B, in, A, affirmatiuè sine distributione, A. Altera regula in Appellationibus rationis vniuersaliter est mala consequentia vbi interuenit secunda intentio significata per terminum appellantem, verbi gratia homo est species, ergo animal est species.

Tertia regula. In appellationibus quæ proueniunt à termino significante actum animæ aut aliquam aliam actionem non valet consequentia à non appellante ad appellãtẽ, verbi gratia mala consequentia est; venientem cognosco, ergo cognosco venientem. Sed vice versa, dicunt bene valere. Similiter hæc non valet; Petrus facit hunc calceum, & hic calceus est corium, ergo Petrus facit corium. Similiter non valet, Deus concurrit ad actũ generationis humanæ, & talis actus est fornicatio, ergo concurrit ad fornicationem. Sed in his omnibus & similibus vsus loquendi & sentiendi sapientũ consulendus est. Hactenus de proprietatibus logicalibus quomodo argumẽtationi deseruiãt, & quomodo in eis fallacię cõmittãtur, satis dictũ est. Neq; me latet, esse plures alios tum locos à quibus argumẽtum desumitur, tum etiam consequentiarum modos plures esse. Sed existi-

maui operæpretium me facturum,si ad prædicta capita tantam locorum argumentandi multitudinem, & fallaciarū numerū reducerem.Porrò Aristo. lib.2.Priorum capite 24. argumentationum quatuor genera docuit videlicet syllogismum,enthimema exēplū:Inductionē.Ad hæc quatuor omnis artificiosus modus argumentandi reduci poterit. Imo si attente consideremus ad syllogismum & inductionem omnem argumentandi modum reducere poterimus.Etenim Enthimema syllogismus est trūcatus:in quo vna præmissa subticetur.v.g omnis virtus est laudabilis,ergo iustitia est laudabilis.Ecce vbi subticetur; Iustitia est virtus, quæ propositio si poneretur fieret syllogistica argumentatio. Deinde, Exemplum est quasi diminuta Inductio:nam ex vno singulari facto intendimus colligere aliquam vniuersalem enūtiationem vel aliquam aliam singularem.v.g. Petrus vigilijs & oratione & ieiunijs ac litterarū exercitatione doctus Theologus euasit:ergo qui ita se gesserit sicut ille,obtinebit sacrę Theologiæ eruditionem. Reliqui verò loci qui à quibusdam Dialecticis multiplicantur magis ad Rhetoricum, quàm ad Dialecticum attinent. Et idcirco ab illis enarrandis supersedimus.

LIBER

LIBER QVARTVS DE ENVNTIATIONUM OMNIUM OPPOSITIONE & ÆQUIPOLLENTIA.

Tractatus primus.

Caput primum.



N hoc quarto libro facile nobis erat Aristotelis textum interponere & interpretari à capite. 5. libri. 1. Periher. vsque ad libri secundi finem. Sed quia nos in hoc opere breuitati & claritati simul studemus, eam morosam diligentiam prætermittimus. Nihilominus ita tractatum de oppositionibus, & æquipollentijs in omni enuntiationum genere suis numeris absolutum dare curabimus, vt Aristotelicæ doctrinæ immemores non simus.

Principio à diffinitione dialecticæ oppositionis inter simplices enuntiationes incipiendum est. Et quidem Aristoteles libro. 1. Perihermenias capite. 4. circa finem priùs de contradictorijs enuntiationibus meminit, vt inde ad alia duo degenerantis oppositionis genera descenderet. De contradictoria itaque oppositione sic ait: Fieri potest vt omne quod affirmauit quispiam, negetur: & quod negauit quispiam, affirmetur. Quare patet, cuilibet affirmationi negationem, & cuilibet negationi affirmationem esse oppositam. Atque hoc sit contradictio, affirmatio & negatio quæ opponuntur. Opponi autem dico, quæ eiusdem de eodem *Quid oppositio dialectica.*

& non æquiuoce & quæcunq;alia determinauimus ad Sophistarum molestias euitādas.In quibus verbis videtur Aristoteles se remittere ad librum primum Elenchorum cap.4. Vbi ait:Contradictio est vnius &eiusdem,non nominis sed rei;non nominis synonymi,sed eiusdem.Hæc ille. Ex cuius doctrina sola contradictionis diffinitio ea videtur esse;Affirmatio & negatio eiusdem de eodem, sicut ipse dixit vbi supra; Atque hoc sit contradictio affirmatio & negatio quæ opponuntur:opponi autem eam dico, (scilicet, affirmationem & negationem)quæ est eiusdem de eodem & non æquiuoce.Vbi Diuus Thomas sic ait; Contradictio est oppositio affirmationis & negationis: reliqua vero quæ adijciūtur potius deseruiunt ad explicationem diffinitionis, quam ad eius integritatem. Pro cuius rei maiori intelligentia aduerte. Idcirco Aristotelem ita præmisisse, fieri sane potest, vt omne quod affirmauit quispiam,negetur. Vbi denegatione loquitur quę destruit totaliter quod alius affirmauerat. Verbi gratia dicit Petrus: omnis homo est doctus: Respondet Ioannes:Non omnis homo est doctus.Ioannes quidem omnino negat quæ alius affirmauerat. Si autem quis alius tertius dicat; Nullus homo est doctus : non expresse negat quod Petrus affirmauerat: siquidem vniuersalitatem relinquit in subiecto : quia vniueasaliter negat hominem esse doctum,ac proinde non contradictoriam profert :sed contrariam propositionemvt paulopost dicemus.Si itaq; loquamur de negatione omnimoda, & totaliter destruens quod quis affirmauerat, sufficit ponere in diffinitione contradictionis, quod sit oppositio affirmationis& negationis. Vnde etiam colligitur talem affirmationem & negationem debere esse eiusdem de eodem, id est eiusdem prædicati de eodem subiecto.Nam vt ait D. Thom. supra, opposita debent essent circa idem. Neque enim opponuntur. Plato currit Sortes non currit:sicut non opponuntur,Plato disputat,Plato non currit.Oportet ergo,vt sit vera oppositio inter affirmationem & negationem,vt tam affirmatio quam negatio sint de eodem subiecto & de eodem prædicato. Hinc præterea sequitur identitatem tam subiecti quam prædicati necessariam esse non solum secundum nomen, sed secundum

cundum rem significatam. Vnde hæ propositiones non sunt contradictoriæ: Petrus currit: Petrus non velociter currit: quia illud aduerbium, velociter modificat actionem significatam per verbum & efficitur pars prædicati ac proinde nō est eiusdem de eodem affirmatio & negatio. Erit igitur breuis & artificiosa diffinitio contradictoriæ oppositionis, si dixeris esse oppositionem affirmationis & negationis. Ex hac enim diffinitione omnes aliæ conditiones colliguntur si intelligatur vt à nobis explicata est, imo à Diuo Thoma, vbi supra.

Hinc iam via apetitur ad intelligendū alios duos modos oppositionis degenerantes à perfecta oppositione affirmationis & negationis: In quibus negatio non perfecte fungitur officio suo destruens quidquid affirmatio continet. Pro cuius intelligentia aduerte cum Aristotele vbi supra cap. 5. illud certum & vniuersale fundamentum. Necessarium esse enuntiare quoniam inest aliquid aut non inest. Aliquando quidem alicui eorum quæ vniuersalia sunt: vt homini: aliquando vero alicui eorum quæ sunt singularia, vt Petro. Hoc supposito, diffinit Aristoteles enūtiationes contrarias dicens: Si ergo aliquis vniuersaliter enuntiet de vniuersali competere aut non competere quippiam; erunt enuntiationes tales contrariæ. v.g. Omnis homo est albus nullus homo est albus. Quando vero de vniuersalibus (hoc est de rebus significatis per terminum communem) non vniuersaliter enuntiat, non sunt contrariæ: quanuis significata contingat esse contraria. v.g. homo est animal homo non est animal, non sunt contrariæ: quanuis si earum significata considerentur in propria materia naturali, æquiualent istis, omnis homo est animal, nullus homo est animal. Verumtamen secundum formam affirmationis & negationis non sunt contraria. Ecce enim alias duas eiusdem formę; Homo currit homo non currit, quæ non contrariæ, sed subcontrariæ dicuntur & sunt: quia sunt quasi filię duarum contrariarum & sub illis continentur & militant, Verbi gratia, sub istis, Omnis homo currit, nullus homo currit continentur istæ, homo currit, homo non currit: quæ simul veræ inueniri pos-

sunt. Ex hac doctrina colligit Aristoteles affirmationem & negationem opponi contradictorie quando altera vniuersaliter altera non vniuersaliter significat. Ponit exemplum in istis, omnis homo est albus, non omnis homo est albus: & in istis: Nullus homo est albus & quidam homo est albus. Contrariæ vero enuntiationes sunt, cum vniuersaliter vtraque affirmatio & negatio significat de eodem. Ex quo infert impossibile esse contrarias simul esse veras: sed contingit contradictorias ipsarum vniuersalium aliquando esse veras, verbi gratia. Homo est albus homo non est albus, quæ inter se sunt subcontrarię, vtraque tamen earum est contradictoria alteri ex contrarijs: & vtraque est alteri subalternata quasi sub illa nata. De qua re postea plura dicemus. Denique vt Aristotelis documentis satisfaciamus, adiecit ille verbis subobscuris cõtradictorias ita se habere, vt necessario altera sit vera & altera falsa. At vero propositiones quæ sunt vniuersalis subiecti non vniuersaliter, hoc est, in quibus manet subiectum terminus communis non distributus, non necesse est vt semper altera sit falsa & altera vera nam vtraque poterit esse vera. Reliqua vero quæ Philosophus in illo capite dicit ex ijs quę statim explicaturi sumus manifestiora fient.

Caput secundum.

Documenta modernorũ.



DEINCEPS vt nouitios Dialecticos erudiamus, operęprętium erit oppositionis inter enũtiationes documenta, more modernorum, apertius proponere ac distinguere. Atq; in primis diffinitio oppositionis in communi, quæ est inter duas enuntiationes à modernis vna, licet analogicè, assignatur. Aiunt enim; oppositio est affirmatio & negatio eiusdem de eodem veritate & falsitate, vel sola veritate, vel sola falsitate formaliter repugnantes. Hæc diffinitio non abs re à Modernis pro Nouitijs posita est. In qua quidem loco generis ponitur affirmatio & negatio eiusdem de eodem. Sed hoc non est æqualiter commune tribus modis oppositionis, qui

Diffinitio oppositonis secundũ modernos.

qui in ipsa diffinitione insinuantur. Etenim vt supra diximus, affirmatio & negatio eiusdem de eodem si simpliciter & integre accipiatur necesse est negationem destruere quid quid in affirmatione significatur. Et hoc pacto affirmatio & negatio eiusdem de eodem est propria diffinitio contradictionis. At vero si affirmatio & negatio eiusdem de eodem non eo rigore consideretur, sed duntaxat cõtentissimus si affirmatio & negatio constent ex eodem subiecto, & eodem prædicato; hoc pacto aliquid cõmune est affirmatio & negatio eiusdẽ de eodẽ contradictorijs cõtrarijs, & sub cõtrarijs. Vnde pro cõtradictorijs ponitur illa particula; veritate & falsitate repugnantes: pro contrarijs vero ponitur altera: sola veritate, pro sub cõtrarijs autẽ ponitur tertia; sola falsitate. Atq; isto modo vnius affirmationis triplex negatio inueniri potest: non autem priore illo modo proprio contradictorijs, de quo Aristoteles dixit vbi supra; Vnius affirmationis vnam tantum esse negationem: loquebatur enim de negatione completè & perfectè destruente quidquid affirmatio ponit. Ex prædicta diffinitione colliguntur tres leges pro tribus modis oppositionis.

Lex contradictoriarũ. Prima lex est cõtradictoriarum, vt non possint simul esse varæ neque falsæ: quæ lex demonstratur deducendo ad impossibile, nam vtroque modo dignitas illa dignitatum maxima; Quodlibet est vel non est, destrueretur, verbi gratia, si hæc affirmatio & negatio; Petrus est albus, & Petrus non est albus, essent simul veræ, statim immediate sequitur, non quodlibet esse vel non esse: siquidem aliquid est & non est album. Ac pari ratione si sunt simul falsæ, sequitur non quod libet esse vel non esse, imo aliquid non est & est album. Insita itaque est mentibus hominum lex contradictoriarum, vt non possint simul esse veræ neque simul esse falsæ: sed necessario ex veritate vnius sequitur falsitas alterius & viceuersa. Considera tamen quod quanuis vtraque contradictoria possit esse contingens, tamen copulatiua ex vtraque coniuncta impossibilis est. Verbi gratia, hæc copulatiua est impossibilis, Petrus currit & Petrus non currit. Quemadmodum etiam disiunctiua composita ex duabus contradictorijs est simpliciter necessaria, tametsi vtraque pars sit contingẽs;

vt verbi gratia, Petrus est albus, vel Petrus non est albus. Est enim quasi subordinata huic principio, Quodlibet est, vel non est. Hoc ipsum documentum verificat Aristoteles vbi supra in propositionibus de extrinseco tempore, verbi gratia, Petrus fuit albus, vel Petrus non fuit albus: sed specialiter respectu futuri temporis difficultatem inuenit Aristoteles, verbi gratia, in hac, Petrus erit albus, vel Petrus non erit albus: in cuius explicatione plus nimiò & obscurè satis immoratur, vt doceat quomodo cohæreant: necessario Petrus erit vel non erit albus: & tamen non necessario erit albus, sed contingenter: nec necessario non erit albus, sed cõtingenter. Vbi insinuat futurorum contingentium determinationem ad superiorem causam & prouidentiam pertinere. Sed de hac re nihil amplius in præsenti dicere oportet: tametsi multa occurrebant dicenda contra inuentores mediæ scientiæ diuinæ.


Lex contrariarum. Secunda lex est contrariarum: vt si vna est vera altera sit falsa: possunt autem simul esse falsæ. Hæc lex ex contradictoriarum lege demonstratur. Nam si darentur duæ contrariæ veræ sequeretur etiam duas contradictorias veras esse, verbi gratia, demus has esse veras: omnis homo currit, nullus homo currit, quæ sunt contrariæ. Tunc bene sequitur, omnis homo currit, ergo aliquis homo currit: antecedens est verum vt supponitur, ergo consequens est verum. Est autem consequens contradictoria illius negatiuæ. Nullus homo currit, quæ præsupponitur esse vera, ergo dantur duę contradictoriæ veræ. Quod autem duæ contrariæ posint esse falsæ ita demonstratur: nam duæ propositiones contrariæ, verbi gratia, omnis homo est albus, Nullus homo est albus, sunt vniuersales inter quas potest dari medium, vt supra diximus, videlicet, aliquis homo non est albus quæ, est contradictoria affirmatiuæ, & subalternata negatiuæ ac proinde, existente falsa vniuersali negatiua, poterit esse vera particularis negatiua quæ non exigit ad sui veritatem tantum quantum exigit vniuersalis. Tunc igitur particularis negatiuæ contradictoria erit falsa, quæ erat vniuersalis affirmatiua, Omnis homo est albus. Sed quærit nouitius Dialecticus: Quid causæ est quare si

si duæ contrariæ sunt falsæ, non statim sequitur duas contradictorias esse falsas: si tamen duæ contrariæ sint veræ statim sequitur, duas contradictorias esse veras. Et ratio dubitandi est, quia duæ cōtrariæ semper de se inferunt duas contradictorias, ergo si contrariæ sunt simul falsæ, etiam contradictoriæ erunt simul falsæ. Respondetur, nego paritatem rationis: imo est maximum & apertum discrimen. Nam vt ex supradictis patet, non sequitur, quòd in bona consequentia si antecedens est falsum consequens debeat esse falsum. At vero in bona consequentia, si antecedens est verum, consequens debet esse verum. Non igitur ex eo quod duæ contrariæ falsæ inferant duas contradictorias sequetur contradictorias esse simul falsas: sicut sequeretur esse simul veras, si ex duabus contrarijs veris per bonam consequentiam colligerentur. Quòd autem duæ contrariæ possint esse falsæ: iam insinuata est ratio in eo quod diximus inter duas vniuersales affirmatiuam & negatiuam de eisdem extremis posse dari medium, scilicet, veritatem duarum subcontrariarum, quæ sunt subalternatæ earundem vniuersalium: quarum vna est particularis affirmatiua, & alia particularis negatiua, quæ possunt in veritate conuenire: quia de distinctis suppositis vtraque verificari potest. Idem enim prædicatum de quodam vere affirmari, & de alio vere negari possibile est. Vt, verbi gratia, aliquod animal est risibile, & aliquod animal non est risibile. Propterea itaque dixi, posse dari medium inter duas contrarias: quia particularis negatiua negat esse vniuersaliter verum, quod vniuersaliter affirmatiua asserit. Rursus particularis affirmatiua similiter vere affirmat, non vniuersaliter negari id, quod vniuersalis negatiua vniuersaliter remouet à subiecto: excipiunt enim particularis affirmatiua, & particularis negatiua quædam supposita ab illis vniuersalibus. Exemplum est ac si duo veri testes conuincant falsitatis duos falsos testes contraria per extremum testificantes. Dicit enim vnus: Nullus Prætor est iustus. Dicit alter; omnis Prætor est iustus, Vterque mentitur, sed adsunt alij duo veri testes quorum quidam dicit; Quidam prætor est iustus: & al-

ter

ter ait quidam Prætor non est iustus. Ecce quomodo datur medium inter contrarias quod continetur in subcontrarijs veris. Ex dictis facile colligemus tertiam legem quæ est subcontrariarum. Quæ quidem repugnant in sola falsitate: possunt autem simul esse veræ. Prior pars huius legis probatur & ostenditur. Nam si darentur duæ subcontrariæ falsæ: tunc ambæ vniuersales ex quibus inferuntur sub cotrariȩ essent simul veræ. Patet consequentia, quia vtraque subcontraria est contradictoria alterius vniuersalis, ergo si subcontraria affirmatiua est falsa, vniuersalis negatiua erit vera. Rursus si particularis negatiua est falsa, vniuersalis affirmatiua erit vera: vt in præsenti figura intueri licebit.

Lex subcontrarium.



NAm si. C. est falsa, tunc. B. eius contradictoria erit vera. Similiter si, C, est falsa eius cõtradictoria, A, vera erit: ac proinde duæ contrariæ erunt veræ & consequenter, vt ostensum est duæ contradictoriæ essent verȩ. Secunda vero pars legis subcontrariarum videlicet quod possint esse simul veræ; probatur, quia inde nullum inconueniens sequitur prȩter quam duas contrarias, esse falsas: quod quidem illis permissum est, quia vtraq; vel vniuersaliter, affirmat vel vniuersaliter negat.

Ex dictis sequitur maximam oppositionem dialecticam esse inter contradictorias, quæ ex diametro pugnant tam in veritate quam in falsitate, Minor vero oppositio est contrariarum, quæ in sola veritate repugnant. Minima tandem oppositio est subcontrariarum, quæ in sola falsitate repugnant, nō autē in veritate. Imo vero si attētē cōsideremus in subcōtrarijs non est negatio eiusdem de eodē secundum rem. Quāuis enim subiectum sit idem secundum vocem & secundum significationem & mentis conceptum (non enim est in illis æquiuocatio) tamen vtriusque veritas non pro eadem re singulari constat: sed altera verificatur pro quodam homine, altera verificabitur pro alio homine. Verum est tamē quod quando altera est vera & altera falsa in idem suppositum singulare recurrunt, v.g si hæc est vera homo currit & hæc est falsa homo non currit: idcirco falsa est, quia ad idem suppositum de quo verificatur cursus respicit & de illo remouet cursum. Etenim illa existente falsa necesse est vniuersalem affirmatiuam quæ est eius contradictoria, esse veram, Omnis homo currit. Quæ cum includat omnia supposita præsentis temporis, necesse est vt comprehendat etiam singulare suppositum pro quo illa particularis negatiua falsificatur, Homo non currit. Et ex hac parte subcontrariæ participant aliquid de lege contradictoriarū; scilicet, quātum ad repugnantiam in falsitate. Tunc enim quantum ad falsitatē est affirmatio & negatio eiusdem de eodem. Ecce totum artificium dialecticæ oppositionis. Nihilominus quoniam varijs sophismatibus prædicta documenta confundi & impugnari possunt: non erit inutile, quasdam conditiones tam cōmunes omni oppositioni quam etiam speciales cuiuslibet oppositionis proprias in medium cum modernis breuiter proferre. *Conditiones oppositionis.*

Prima conditio vniuersalis est; vt nulla sit æquiuocatio in extremis neque in adiunctis. Huius conditionis meminit Aristoteles. Vnde istæ non sunt oppositæ Petrus est iustus, Petrus non est iustus, si subiectum pro distinctis hominibus qui eo nomine appellantur, accipiatur. Et eadem erit ratio si interuenerit æquiuocatio in aliquo syncathegoremate ipsis extremis adiuncto. Secunda conditio. Vt vtraque propositi-

positio habeat idem subiectum & idem prædicatum; neque enim sufficit si vtraque habeat eadem extrema, sed oportet vt quod in vna est subiectum, in altera sit subiectum: & quod in altera est prædicatum, idem sit in altera: non solum secũdum rem & conceptum sed etiam secundum vocem. Et ideirco istæ non sunt contradictoriæ, Marcus orat, Tullius non orat, etiam si vtriusque subiectum secundum rem & secundum conceptum sit idem. Tertia conditio generalis est, vt in extremis & in partibus extremorum seruetur idem genus suppositionis quantum ad illam primam diuisionem factam de suppositione in materialem & simplicem & personalem. Quocirca non opponuntur: Homo est nomen, nullus homo est nomẽ, quia in affirmatiua subiectum supponit materialiter & in negatiua personaliter. Similiter neque istæ opponuntur; Homo est species, nullus homo est species: quia in altera subiectũ supponit simpliciter, in altera personaliter. Et profecto in his duobus exemplis est quasi æquiuocatio subiecti. Cæterum quantum ad alias diuisiones suppositionis, videlicet, distributiuæ vel confusæ vel determinatæ nõ solum non requiritur, vt seruetur eadem supposito: sed necesse est vt in quibusdam oppositis propositionibus sit aliqua varietas: nisi fortè omnia extrema sint singularia: sicut in istis; Petrus est Ioannes, Petrus non est Ioãnes: quæ sunt maximè contradictoriæ, quia reuera sunt affirmatio & negatio omnino eiusdem de eodem omnino. In alijs vero oppositis de extremis communibus semper inuenies in contradictorijs, & in subcontrarijs aliquando, varietatem suppositionis; In contrarijs verò contingit omnia extrema vniuersaliter supponere, verbi gratia. Nullus homo est animal, omnis homo est omne animal: Imo etiã in subcõtrarijs de inusitato modo loquendi, etiam continget, nullam inueniri varietatem huiusmodi: sicut in istis, Homo est homo, Homo homo non est. Quarta conditio, quæ à quibusdã generalis ponitur, ea est, vt seruetur in extremis, siue in partibus extremorum, eadem appellatio & eadem ampliatio vel restrictio. Et quidem quantum ad contradictorias necesse est seruari omnino hanc conditionem. Verum in cõtrarijs & subcontrarijs regula exceptionem habet, verbi gratia

istæ propositiones;Homo currit & quidam homo non currit,sunt subcontrariæ,& tamen non seruatur eadem restrictio(suppono enim quod, Quidam, in negatiua restringat pro masculis)probo maiorem quia sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem quæ possunt esse veræ & nullo modo falsæ ergo habent legē subcontrariarū ac proinde subcōtrariæ sunt.Neque valet respondere, quòd non participant in subiecto:nam profecto in negatiua nō est subiectum totum illud;Quidam homo,sed duntaxat Homo. Alias neque istæ essent cōtradictoriæ;Nullus homo currit, quidā homo currit:quia nō participarēt in extremis si signū particularitatis, Quidā,efficeretur pars extremi.Quod autē illæ propositiones,homo currit,quidā homo non currit,habeant legem subcontrariarum,ita vt possint dari veræ & nullo modo falsæ; sic ostenditur,nam ex falsitate affirmatiuæ sequitur veritas negatiuæ,ergo nō possunt esse simul falsę.Probo antecedēs, nam ex falsitate affirmatiuæ sequitur veritas illius contradictoriæ,omnis homo nō currit,& ex veritate istius sequitur veritas illius negatiuæ, Quidam homo non currit, ergo de primo ad vltimum ex falsitate illius, homo currit, sequitur veritas istius;Quidam homo non currit.Quod vero possint esse simul veræ patet in casu, quòd mulier currat & quidam vir non currat.Item ratione probatur;quia illa consequentia non valet, quidam homo non currit, ergo omnis homo non currit, ergo poterit dari antecedens verum & consequens falsum;tunc ergo contradictoria consequentis,quæ est homo currit, erit vera simul cum altera, quidam homo non currit.Proportionabiliter in contrarijs poterit esse exceptio v.g.in istis,Quilibet homo currit & omnis homo non currit.Non enim desinunt esse contrariæ quanuis signū distributiuum;Quilibet, restringat pro masculis & signum omnis indifferēs, sit ad masculos & fœminas. Ratio est quia propter maiorē restrictionem in affirmatiua consurgit inter illas propositiones repugnantia in veritate & non in falsitate.Et probatur,quia ex veritate affirmatiuæ sequitur veritas cōtradictoriæ negatiuæ vniuersalis,ergo sequitur falsitas ipsi⁹ vniuersalis negatiuæ.Cōsequētia patet quia duæ cōtrariæ non possunt esse simul veræ.Et probatur antecedens,

nam

nam bene ſequitur: Quilibet homo currit, ergo homo currit: quæ eſt contradictoria illius, omnis homo non currit. Quod autem non repugnent in falſitate probatur, quia iſta eſt mala conſequentia, Homo currit, ergo Quilibet homo currit ergo poterit dari antecedens verum & conſequens falſum. Ac proinde tunc contradictoria antecedentis quæ eſt, omnis homo non currit, erit falſa, ſimul cum altera, Quilibet homo currit. Habemus itaque ex dictis quod variatio ſuppoſitionis extremorum non impedit in contrarijs, quando ex illa varietate conſurgit repugnantia in veritate, neque deſtruitur compoſsibilitas vtriuſque contrariæ in falſitate, vt oſtenſum eſt. Hoc autem vocant moderniores, committi defectum veritatis. Quod contingit quando in affirmatiua eſt maior reſtrictio, quam in negatiua. Proportionabiliter in ſub contrarijs, quando eſt maior reſtrictio in negatiua, quàm in affirmatiua non eſt impedimentum, quia dicunt cõmitti defectum falſitatis. Id quod nos conuenientius dicimus, quia tunc conſurgit repugnantia in falſitate, vt oſtendimus in exemplo poſito. Nam ex falſitate affirmatiuæ ſequitur veritas negatiuæ. Quæ omnia ipſo exercitio manifeſtiora fiunt. Recurrendum enim eſt quando contigerit talis variatio ad regulas duas. Prior eſt pro contrarijs. Si affirmatiua infert contradictoriam negatiuæ & nõ infertur ex illa; erũt contrariæ. Cuius ratio eſt, quia tunc repugnabunt in veritate & non in falſitate, vt oſtenditur per diffinitionem bonæ & malæ conſequentiæ. Secunda regula pro ſubcontrarijs. Quando affirmatiua infertur ex contradictoria negatiuæ & non infert illam, erunt ſubcontrariæ: quia tunc non poterũt dari falſæ & poterunt dari veræ. Vt autem dignoſcas, quando huiuſmodi conſequentiæ erunt bonæ aut malæ, recole ſupra poſitas regulas in libro tertio de varietate argumentandi in ampliationibus & reſtrictionibus & appellationibus. Quintam conditionem generalem adijciunt quidam moderni; quod ſi vna enũtiatio eſt affirmatiua, altera debet eſſe negatiua. Sed hæc nõ proprie dicitur conditio, cum intrinſece & eſſentialiter ſit in diffinitione oppoſitionis, quæ eſt affirmatio & negatio. Nihilominus huius occaſione explicare voluerunt, quomodo ſit intelligenda qualitas oppoſita affir-

matio-

mationis & negationis, videlicet, respectu copulæ principalis. Nam aliquando adest in aliquo extremo quædam copula, quam vocant implicationis, quæ efficitur pars eiusdem extremi: cuius qualitas debet eodem modo manere secundum formam dictionis. Est exemplum; Omnis homo qui currit non disputat, & homo qui currit disputat, sunt contradictoriæ, vbi illa copula implicationis cum relatiuo est pars extremi & restringit alteram partem, scilicet, Homo. Neque licitum est interponere negationem inter relatiuum & copulam implicationis: aliàs non esset idem subiectum. Vbi obiter aduerte. Modernos valde solicitos esse in explicanda illa propositione, Petrus qui currit disputat & eius contradictoria; Petrus qui currit non disputat. Aiunt enim affirmatiuam explicãdam esse per copulatiuam hanc, Petrus disputat & ille currit, ac proinde eius contradictoria, Petrus qui currit non disputat, explicanda est per hanc disiunctiuam, Petrus non disputat, vel ille non currit. Veruntamen quamuis hæc vera sint, non tamen necessaria ad explicationem earum propositionum. Multò enim breuius & clarius intelligitur earum sensus, si loco relatiui cum copula implicationis posueris participium illius copulæ, & dixeris: Petrus currens disputat, Petrus currens non disputat, frustra enim fiunt per plura quæ possunt fieri per pauciora. Maior autem difficultas est in modo assignandi oppositionem in propositionibus vbi sunt duæ copulæ principales in vna cathegorica, verbi gratia, hæc propositio, Petrus est & non fuit albus, habet duas copulas æque principales, alteram affirmatam alteram negatam. Vnde opus est, vt in eius contradictoria permutetur qualitas vtriusque copulæ. Sed hoc non sufficit, vt sint contradictoriæ. Nam si dixeris Petrus non est & fuit albus, esse contradictoriam istius, Petrus est & non fuit albus, dabuntur ambæ falsæ in casu in quo Petrus nunc incipiat esse, & incipiat esse niger: inuenies enim vtranque esse falsam. Ratio est quia illa coniunctio, &, est vniuersalitas quæ manet in vtraque, cum deberet permutari in coniunctionem, vel, quę est quasi particularitas: & sic resultabunt contradictorię sub hac forma. Petrus est & non fuit albus, Petrus non est, vel

 fuit

fuit albus. Ad constituendas autem subcontrarias etiam de subiecto singulari sufficit, quod maneat, vel, in vtraque enuntiatione. v. g. Petrus est vel non fuit albus, Petrus non est vel fuit albus, quæ ambæ veræ sunt in casu posito. Hactenus de generalibus conditionibus dictum est.

Iam vero de singularum oppositionum specialibus conditionibus dicamus & prius de contradictorijs.

Contradictiones speciales cõtradictorium.

Cõtradictoriarũ duæ sunt speciales cõditiones necessariæ ad earum legem custodiendam. Prior est, Non debet manere in vtraque eadem vniuersalitas neque eadem particularitas. Ratio est, quia si manet eadem vniuersalitas poterunt dari falsæ; si vero maneat eadem particularitas, poterunt dari simul veræ; quorum vtrumq; legi contradictoriarum repugnat. Altera conditio est, si vniuersalitas vnius termini fuerit respectu alterius termini confuse stantis, debet in altera mutari in particularitatem determinatam in ordine ad alterum terminum supponentem distributiue, qui in altera supponebat confuse. In exemplo manifestũ est, omnis homo est animal, homo non est animal. Ecce vbi subiectũ, homo, qui in affirmatiua supponit distributiue respectu prædicati, animal, supponentis confuse, iam in negatiua supponit determinate respectu eiusdem prædicati distributi. At vero omnis vniuersalitas respectu termini stantis determinate, debet in altera contradictoria mutari in particularitatẽ confusam in ordine ad eumdem terminum iam distributum. v, g. Homo non est animal & omnis homo est animal, contradictoriæ sunt: & exercetur prædicta regula quantum ad vtramque partem, hæc conditio quamuis in exemplo posito manifesta sit: tamen memoriæ commendanda est, quoniam in contradictorijs compositis ex complexis extremis occurret necessitas considerandi hanc conditionem. Cuius rei exempla nolo hic præuenire: ne discipulorum capacitatem confundamus.

Conditiones contrariarũ.

Pro contrarijs sunt aliæ duæ conditiones speciales. Prior est. Omnis particularitas vnius debet mutari in altera in vniuersalitatem, sed debet manere eadem vniuersalitas in ambabus. Vt patet in istis, omnis homo est animal, nullus homo est animal. Ab hac conditione moderni exceptionẽ faciunt,

quando

quando aliunde committitur defectus veritatis, quod proprius dixissent, quando aliunde roboratur repugnantia in veritate. Sit exemplum. Hæ duæ propositiones, omnis homo non currit, & quidam homo currit (siquidam restringat pro masculis) possunt dari falsæ, & non possunt dari veræ ratione restrictionis subiecti in affirmatiua, propter quã restrictionem affirmatiua infert contradictoriam negatiuæ, & non infertur ex illa, verbi gratia, bene sequitur, Quidam homo currit, ergo homo currit: sed vice versa non valet, à non restricto ad restrictum sine distributione non restricti & sine constantia restricti. Quocirca iuxta discursum, quem supra fecimus, illæ propositiones habent legem contrariarum. Altera conditio contrariarum est, vt nulla vniuersalitas vnius termini in ordine ad alterum stantem confuse posſit manere in altera cõtraria confuse: sed poterit manere determinate vel distributiue. Exemplum huius conditionis non poterit inueniri in propositionibus de vsitato modo loquendi. Et idcirco fingebant Sophistæ quod litera. A. esset signum confusionis & sic afferebant exemplum huius modi. Cuiuslibet hominis quilibet oculus est vidẽs. & cuiuslibet hominis, A, oculus nõ est vidẽs. Vtraq; enim est vera admissa fictione quod litera, A, cõfundit subiectũ in ordine ad prædicatũ distributum. Nam affirmatiua ab omnibus cõceditur. Negatiua vero probatur per ascensum copulatiuũ, v.g. istius hominis oculus nõ videt & sic de singulis, cuius ascẽsus quælibet singularis est vera, nã quælibet rursus probabitur per ascẽsum copulatiuũ sub prædicato; Videns, priusquam sub termino, oculus, stante confuse: v.g. istius hominis. A. oculus non est istud videns & sic de singulis. Vbi omnes singulares inueniuntur veræ. Ostendam enim per istud videns dextrum oculum & tunc iam manet determinate illa pars subiecti quæ confundebatur à littera A. & licitum erit tunc ostendere alterum oculum sine isto. Si autem oculus supponeret determinate, oportebat prius in ascensu designare vnam singularem veram, quæ non ostendetur quia prædicatum vniuersaliter negatur de illa singulari. Talibus nænijs exercebantur olim adolescentium ingenia vt penetrarent prædictas conditiones esse necessarias,

sed vtinā in propositionibus de vsitato modo loquendi non sint ignorantes.

Conditiones subcontrariarum. Subcōtrariarum denique sunt aliæ duæ speciales conditiones obseruandæ. Prior est, omnis vniuersalitas vnius debet in altera mutari in particularitatem, & aliqua vna particularitas debet manere in vtraque, vt patet in istis, Homo est albus, homo non est albus. Ab hac regula excipitur, quando aliunde committitur defectus falsitatis, vt aiunt moderni; & nos proprius loquentes dicimus, nisi forte aliunde constet repugnantia in falsitate. Hoc autem contingit quando contradictoria affirmatiuæ infert negatiuam & non infertur ex illa. Est exemplum in istis. Homo currit, Quilibet homo non currit (si quilibet restringat pro masculis) illę sunt subcontrariæ, & tamen non manet aliqua particularitas in vtraque. Sufficit enim quod habeant legem subcontrariarum ratione maioris restrictionis in negatiua: Vnde fit vt contradictoria affirmatiuæ quæ est, omnis homo non currit, inferat illam negatiuam; Quilibet homo non currit & non infertur ex illa, ac proinde vt iam ostensum est, illæ priores non possunt dari falsæ, sed possunt esse veræ. Altera conditio est. Nulla vniuersalitas vnius subcontrariæ in ordine ad terminum stantem determinate debet in altera manere determinate in ordine ad eundem terminum distributum. Sed ista conditio superflua est in propositionibus de vsitato modo loquendi. Sed fingunt sophistæ litteram. B. vt sit signum determinatæ suppositionis vt ponant exemplum prædictæ conditionis, verbi gratia, istæ propositiones non sunt subcontrariæ: Hominis oculus non est videns & hominis quilibet oculus. B. videns est, propter defectum illius conditionis. Nam prædicatum quod distribuebatur in negatiua respectu termini oculus supponentis determinate manet in affirmatiua determinate respectu eiusdem distributi: Et idcirco possunt dari simul falsę & de facto dantur si curiose velis per ascensum, vel descensum legitimum eas propositiones resoluere.

Cap.

Caput tertium.



Actenus de oppositione simplicium cathegoricarum & de simplicibus extremis diximus:nūc autem non erit inutile de cathegoricis quæ cō plexis extremis constāt, aliquam specialem considerationem circa earum oppositionē tradere.

De oppositione cathegoricarū ex terminis complexis & obliquis.

Notandum est in primis multipliciter contingere extremum cathegoricę complexum esse. Primo quidem dupliciter potest esse complexum, videlicet, vel ex duobus rectis, vel ex obliquo & recto, Rursus ex duobus rectis tripliciter contingit esse complexum:vno modo, ita vt vtraque pars sit rectus, ita vt vterque rectus alterum restringat vt; Animal album. Secundo ita vt alter rectus duntaxat alterum restringat, vt, Animal homo. Tertio ita vt neuter alterum restringat:vt, Homo & equus: siue illa coniunctio, &, accipiatur copulatim siue diuisim, neutra pars complexi alterā restringit.

His suppositis sit primum documentum. Si neuter rectus alterum restringat non sunt necessariæ aliæ regulæ ad dignoscendam oppositionem propositionum præter eas quæ supra sunt positæ. Hoc autem vnum obseruabis; quod si coniunctio, &, accipiatur diuisim est vniuersalitas:& cōiunctio, vel, est particularitas. Si autem copulatim accipiatur, efficitur pars extremi & totum subiectum est terminus collectiuus, vt in hac propositione. Homo & equus sunt animalia: & debet manere illa coniunctio in oppositis enuntiationibus. Verbi gratia, si petis contradictoriam huius, omnis homo & equus sunt animalia assignabo tibi hanc; Homo & omnis equus non sunt animalia. In quibus seruantur omnes cōditiones communes & speciales contradictoriarum. Si autē quis, permutatis partibus complexi opinetur esse idem extremum, & assignet pro contradictoria hanc; Omnis equus & homo non sunt animalia, falleretur, quia non seruatur cōditio specialis contradictoriarum, videlicet, quod terminus qui stabat distributiue in ordine ad alterum stantem confuse debet in altera manere determinate & non confuse. Quare illæ duæ propositiones propter illam suppositionem confusam illius termini, Homo, euadunt subcontrariæ: & dantur

tur simul veræ in istis terminis. Omnis homo & album sunt animalia, omne album & homo non sunt animalia. Et sit casus, quod sint tantum duo homines albi: tunc vtraque enuntiatio inuenietur vera, si legitima inductione vtaris. Nam cum in negatiua singularizaueris terminum, album, relinquitur tibi optio vt cum velis singularizare terminum, homo, possis designare vnam singularem veram ostendendo idem suppositum pro quo singularizaueras album, & sic verum erit dicere; non sunt animalia, quia est vnicum suppositum albi & hominis. Secundum documentum. Si vterque rectus alterum restringat; tunc si vna pars distribuitur & altera simul distribuitur: & si vna singularizatur, altera simul singularizatur. Est enim idem dicere, omnis homo albus currit, & omne album homo currit. Et hic homo albus currit, & hoc album homo currit. Et similiter idem est: Nullum album dulce, & Nullum dulce album. In huiusmodi ergo complexis nulla est ratio hæsitandi, quomodo se debeat habere ad oppositionem. Si autem alter rectus alterum restringat, & non restringatur ab eo: tunc est tertium documentum. Quotiescunque terminus restrictus distribuitur, etiam distribuitur terminus restringens perinde acsi solus esset extremum & distribueretur, verbi gratia, omne animal homo currit: perinde est ac si diceres, omnis homo currit. Ratio est euidens, quia quotiescunque contingit vnum rectum alterum restringere, & non restringi ab eo, semper inuenies terminum restrictum esse superiorem termino restringente & in eo incluso. Ac proinde idem est dicere; Animal homo, & homo. Sicut idem est ens homo & homo. Et sic idem est distribuere complexum simul totum, ac si distribueres terminum inferiorem restringentem superiorem. Si autem quis velit distribuere terminum inferiorem: verbi gratia: Animal omnis homo currit: tunc illa distributio interposita efficitur pars complexi & tota propositio remanet indefinita, ac si diceres animal quod est omnis homo currit. Vbi animal nullo modo distribuitur, sed potius multo magis restringitur quam si diceres: Animal homo currit. Habemus itaque in prædictis variationibus superiores regulas esse consulendas, vt oppositio

tio enuntiationum discernatur.

Iam vero de altero membro primæ diuisionis quando extremum enuntiationis est complexum ex recto & obliquo, magnum negotium suscipiunt morosi Dialectici in assignandis documentis, & regulis pro discernenda oppositione in talibus enuntiationibus. Et nos quidem olim, cum officio Dialecticæ præceptoris fungeremur, non minus quam sexdecim regulas constituebamus quasi necessarias ad dissoluenda plurima sophismata, quæ ex varietate respectuũ inter rectum & obliquum tam in affirmatiuis quàm in negatiuis propositionibus poterant consurgere. Sed iam nunc maturiùs omnia considerans alia breuiori via incedendum esse censeo.

Notandum itaque est quod ex recto & obliquo dupliciter potest fieri complexum. Vno modo, sic vt rectus præcedat, verbi gratia, equus hominis. Altero modo, vt præcedat obliquus, vt Hominis equus. Priore modo dicitur complexum acceptum vnica acceptione: quia reputatur tanquam vnicus terminus incomplexus connotatiuus quantum attinet ad differentiam suppositionis distributæ, vel confusæ, vel determinatæ. Verbigratia, si dicas, quilibet equus hominis currit, non opus habes in eius contradictoria rationem obliqui habere, vt mutes particularitatem eius in vniuersalitatem. Errabis enim si pro contradictoria assignes hanc; equus cuiuslibet hominis non currit: quia non seruas eandem restrictionem. Nam in negatiua: Equus, restringitur pro equo possesso à quolibet homine. Et sic vtraque erit vera in casu, in quo singuli homines singulos equos possideant currentes. Assignanda est igitur contradictoria hoc modo: equus hominis non currit. Et hoc pacto in omnibus alijs cõsiderandus est vt vnicus terminus: vt etiam in hac vniuersali: Quilibet equus hominis non currit non oportet considerare particularitatem obliqui esse confusam à distributione recti. Erit enim eius cõtradictoria, equus hominis currit. Ratio huius documenti est non solum vsus & modus loquendi: sed etiam quia cum rectus precedit, fit obliquus quasi adiectiuum quantum ad habitudinem mutuam recti & obliqui, ac si diceres: equus humanus, si adiectiuum

significaret possessionem. Quamobrem sit tibi regula generalis. Obliquus supponit eo modo quo rectus quãtum adhabitudinem quam obliquus importat coniunctus cum recto. Itaque si rectus distribuatur similiter distribuitur & obliquus, non simpliciter, sed quantum ad habitudinem ad rectum, verbi gratia, si dicas omnis equus hominis currit, quanuis non asseras omnem hominem habere equum currentem: tamen perinde est ac si affirmares; Cuiuslibet hominis habẽtis equum quilibet equus currit. Et sic habitudo hominis ad equũ quę importatur in toto cõplexo distribuitur. Et idem dicimus quantum ad suppositionem determinatam, vel confusam ipsius obliqui. Semper enim supponit sicut rectus. At vero quando obliquus & rectus non vnica acceptione accipiuntur; quod contingit si obliquus præcedat: tunc distributio obliqui in ipso tãtum terminatur, verbi gratia. In hac propositione: Cuiuslibet hominis equus currit: vbi rectus manet confuse: neque eius habitudo ad hominem distribuitur: Ita vt sit sensus: Quilibet equus habitus ab homine currit: sed ipse rectus est particularitas confusa respectu obliqui distributi complete & independenter, non minus quàm terminus, Homo, in hac propositione; omnis homo est animal. Conueniunt tamen complexum acceptum vnica & acceptum pluribus acceptionibus in eo, quod vtrobique ab obliquo restringitur rectus: ita vt non possit supponere aut accipi nisi pro equo possesso ab homine. Obliquus autem nunquam absolute restringitur à recto quantum ad suppositionem pro suo significato: tametsi quantum ad veritatem propositionis affirmatiuæ restringatur: quia illa non potest esse vera nisi pro homine habente equum.

His suppositis vt appareat quàm sint superfluæ tot regulæ obseruandæ circa oppositiones cathegoricarum de extremo complexo ex recto & obliquo volo proponere argumenta, quorum occasione præfatæ regulæ inuentæ sunt. Sit primum argumentum. Istæ sunt contradictoriæ, cuiuslibet hominis equus non currit & hominis quilibet equus currit: & tamen particularitas recti determinabilis, quæ est in negatiua non vertitur in vniuersalitatem completam in affirmatiua, ergo specialis conditio contradictoriarum non est necessaria.

cessaria. Maior probatur: quia est affirmatio & negatio eiusdem de eodem repugnantes in veritate & falsitate. Minor verò probatur, quia non est licitum descendere copulatiue sub illo termino equus sic deducendo. Hominis quilibet equus currit, ergo hominis iste equus currit & sic de singulis, Nam dabitur antecedens verum & consequens falsum, si solius Petri omnis equus currat, & aliorum hominum habẽtium equos nullus currat. Arguitur secundo. Istæ etiam sunt contradictoriæ, Quilibet equus hominis currit & equus hominis non currit: & tamen manet eadem particularitas ex parte illius obliqui: Hominis, nullibi enim distribuitur.

Ad primum argumentum Moderni vt respondeant contemplantur in illa negatiua: Cuiuslibet hominis equus non currit, esse quandam particularitatem incompletam in illo determinabili; Equus. Vocant autem incompletam particularitatem, quæ habet aliquid de vniuersalitate. Proportionabiliter dicũt in illa affirmatiua; Hominis quilibet equus currit, esse distributionem incompletam in ipso determinabili equus. Aiunt itaque distributionem incompletam in affirmatiua recompensari, quia idem termiuus in negatiua habet tantum vniuersalitatis quantum deficit in affirmatiua. Ac proinde dicunt illas propositiones esse contradictorias. Nos etiam olim hunc modum dicendi sequebamur: sed modo non placet. Quia ex ratione prædictæ sententiæ potius concluditur eas propositiones nullam legem participare, quia manet eadem particularitas & eadem vniuersalitas in eodem termino. Item absque necessario fundamento sic opinantur. Nos igitur respondemus distributionem determinabilis in affirmatiua completam esse, non obstante quòd sit dependens quantum ad descensum copulatiuum à determinata suppositione obliqui, qui prius debet singularizari quàm fiat descensus sub determinabili distributo. Verbi gratia debet fieri iste descensus, vel ascensus, istius hominis quilibet equus currit, vel istius hominis, quilibet equus currit, vel sic de singulis, ergo hominis quilibet equus currit. Tunc igitur sufficit vna singularis vera ex parte determinationis, in qua singulari propositione manet euidens distributio cõpleta determinabilis. Ad argumentum igitur in forma nego

 mino-

minorem. Ad probationem nego consequentiam. Et defectus est, quia in illo descensu proceditur virtualiter à magis ad minus restrictum cũ distributione minus restricti ex parte determinabilis. Quod ego sic ostendo.

Quia in antecedenti, equus, distribuitur pro omni equo alicuius hominis designandi singulariter. At vero in consequenti numerantur copulatiuè omnes singulares determinabilis non cum illa restrictione eiusdem hominis, sed indifferenter eiusdem, vel alterius. Ac proinde numerare illas singulares copulatiuè idẽ est virtualiter ac si minus restrictũ distribueretur. Sed replicabit prouectior Dialecticus. Non est licitum syllogizare cum illa propositione. Hominis quilibet equus currit, accipiendo pro medio terminum; equus, ergo non complete distribuitur. Ad hãc replicam nego antecedens, nisi aliunde syllogizando committatur alius defectus: sicut committitur in hac consequentia. Hominis quilibet equus currit, Brunellus est equus, ergo hominis Brunellus currit. Vbi est euidens defectus intrinsecus, quod medium vbi non distribuitur, tenetur minus restricte quam vbi distribuitur: Sed iterum replicas accipiens pro medio totum complexum, hominis equus, & ita procedens, hominis quilibet equus currit, Brunellus est hominis equus, ergo Brunellus currit. Adhuc ista consequentia non valet, & non ob aliud, nisi quia equus non distribuitur complete. Respõdetur, nego minorem. Sed defectus est: quia vna pars medij nullo modo distribuitur, scilicet, hominis. Vnde si in minori dicas, Brunellus est cuiuslibet hominis equus bonus, erit syllogismus. Vbi apparet quomodo determinabile, equus, nullo modo distributũ in minori, necesse est quod in maiori perfecte fuerit distributum. Alias mediũ non complete distribueretur. Habeo igitur intentum, aliud esse dicere distributionem illam esse dependentem: & aliud esse distributionem incompletam; Nam profecto, qui negant illam distributionem esse completam: fingunt quasdã particularitates incompletas in ipso determinabili, quando determinatio distribuitur, vt in hac, cuiuslibet hominis equus currit. Id quod ego falsissimum reputo, cum sufficiat vna singularis vera ad veritatem illius ex parte determina-

bilis

bilis. Est enim bona consequentia: Cuiuslibet hominis iste equus currit, ergo cuiuslibet hominis equus currit. Ac proinde equus nullo modo distribuitur: Sed est completa particularitas, quamuis in descensu dependens à determinatione distributa, sicut, animal in hac propositione; Omnis homo est animal, supponit confuse dependenter in descensu à subiecto distributo. Nam si velis prius descendere sub termino stante confuse incurres in defectumqui dicitur ab vnica distributione ad plures. Hac via omnes captiones, quæ circa obliquorum resolutionē solent contingere, poteris cauere, si attēderis ad regulas supra positas libro tertio de argumentatione à restricto ad non restrictum: vel à non restricto ad restrictū. Quod si adhuc instet Sophista, necessarias esse speciales regulas de particularitate completa & incompleta, quoniam hic descensus bonus est, Cuiuslibet hominis equus non currit, ergo cuiuslibet hominis iste equusnon currit, vel iste equus non currit, vel sic de singulis, ergo necesse est determinabile aliquid habere distributionis in antecedenti: alias nō posset suppleri defectus ab vnica distributione ad plures descēdendo prius sub termino stante confuse, quam fiat descensus sub termino stante distributiue. Nos tamen respondemus non esse necessarium ad hunc finem prædictum, illam particularitatem esse independentem. Quemadmodum enim in eius contradictoria; Hominis cuilibet equus currit, diximus illam vniuersalitatem esse quidem dependentem, sed completam: ita dicimus in contradictoria negatiua esse particularitatem completam licet dependentem. Et quemadmodum ascensus copulatiuus in illa affirmatiua sub termino, equus, est bona consequentia: ita descensus ille negatiuus ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis erit bona consequentia. Neque enim in isto committitur defectus ab vnica distributione ad plures, neq; in altero à pluribus, determinatis ad vnicam. Ratio est quia isti defectus non habent locum inter determinabile & determinationem eiusdem extremi, nisi aliunde committatur alius defectus, sicut verbi gratia, committitur in ista consequētia, Cuiuslibet hominis equus currit, ergo cuiuslibet hominis

iste

iste equus currit, vel cuiuslibet hominis iste equus currit, vel sic de singulis. Non enim committitur defectus ab vnica distributione ad plures, sed potius à minus restricto ad magis restrictum sine distributione minus restricti, & sine constantia magis restricti. Nam in consequenti omnes singulares determinabilis restringuntur pro equo possesso à quolibet homine, quod non fit in antecedenti. Ecce quomodo si attente consideres non opus habebis alijs regulis obliquorum: sed sufficiunt illę quas supra libro 3. adnotauimus circa consequentias à non restricto ad restrictum aut vice versa. Ad secundum argumentum concedo maiorem, & nego minorem, quia vt diximus, ex recto & obliquo acceptis vnica acceptione nulla ratio habetur seorsum obliqui determinantis rectum: sed supponit sicut suum determinabile cum sua tamen habitudine ad illud. Vnde in illis contradictorijs; Quilibet equus hominis currit, equus hominis non currit, obliquus in affirmatiua supponit virtualiter distributiue cũ sua habitudine ad determinabile: & in negatiua supponit determinatè cum eadem habitudine. Hic modus dicendi breuior est & manifestior. Verumtamen vt sis dexter in dissoluẽdis sophismatibus, nota tibi has esse æquipollentes, equus hominis currit, & hominis equus currit, ac proinde earum contradictoriæ etiam sunt æquipollẽtes inter se, scilicet, Nullus equus hominis currit, & nullis hominis equus currrit aut (quod idẽ est.) Quilibet equus hominis non currit & cuiuslibet hominis quilibet equus non currit. Neque enim inuenies maiorem restrictionem, vel minorem aut maiorem distributionẽ, vel minorem in vna quam in altera: neque aliquam dependentiam in descensu ratione maioris aut minoris distributionis.

Tandem in hoc libro ad complementum materiæ & impletionem promissi, necesse est de æquipollentia simpliciũ cathegoricarum aliqua documenta tradere. Ex Petro Hispano, Primum documentum sit, si alicui signo vniuersali, vel particulari præponatur negatio æquipollet suo contradictorio, verbi gratia. Istæ sunt æquipollentes, non omnis homo disputat, Quidam homo non disputat. Similiter & hæ, omnis homo disputat, Non quidam homo non disputat.

Secun-

Secundum documentum, si alicui signo vniuersali postponatur negatio, æquipollet suo contrario, verbi gratia, equipollentes sunt;omnis homo non disputat, &nullus homo disputat. Et similiter hæ, omnis homo disputat & nullus homo non disputat. Tertium documentum, si alicui signo vniuersali, vel particulari præponatur & post ponatur negatio æquipollet suo subalterno, verbi gratia, Istæ ęquipollent.Non omnis homo nõ disputat,&,quidam homo disputat:sicut & hæ,omnis homo disputat,&,non quidam homo non disputat. Hæ regulæ his dictionibus memoriæ mandari poterunt.Præ contra dic, Post contrari. Præpost subalter. Ex istis regulis colligitur, quod si duo signa vniuersalia negatiua ponantur in eadem locutione vnum in subiecto & alterum in prædicato, Primum ęquipollet suo contrario per secundam regulam: & secundum suo contradictorio per primam regulam.Ponunt exemplũ in hac propositione:nihil est nihil& aiunt æquipollere huic: Quodlibet est aliquid,sed melius dixissent: Nihil nihil est,ęquiualere huic,Quodlibet est aliquid, vt vtraq; esset affirmatiua: alias illa negatiua est Nihil est Nihil.Sed hęc missa faciamus,quæ ex communi modo loquendi constare possunt.

TRA.

TRACTATVS SECVNDVS DE OPPOSITIONIBVS ET æquipollentijs in modalibus enuntiationibus.

Caput primum.

De diffinitione modalis enuntiationis.



VONIAM enuntiatio modalis à modo denominatur, diffiniunt Moderniores cũ Petro Hispano, quid sit modus dicentes; Modus est adiacens rei determinatio. Quæ profecto descriptio ad physicum modum accommodatior videtur esse, quàm ad eum qui constituit modalem propositionem. Nos vero considerantes præsentem tractatum non de rerũ modo esse, sed de speciali modo modalem propositionem constituente, aliter diffinire debemus. Aduertendumq; e est non quemuis modum inuentum in propositione illam modalẽ apud Dialecticos denominare. Est enim multiplex modus modificandi enuntiationem. Quidam enim negatiuam constituit alius vniuersalem alius alteri oppositam: sed nunc specialem modum enuntiationis inquirimus habentem specialem difficultatem dignam Dialectica consideratione ad discernendam quarundam enuntiationum oppositionẽ aut

æqui-

æquipollẽtiam. Quocirca ita modum definimus. Modus est dictio modificans vnionem prædicati cum subiecto. Pro cuius intelligentia aduerte, multa esse aduerbia quæ modificãt verba enuntiationum, vt Petrus velociter currit, disertè disputat, pigrè ambulat. Verumtamen hæc aduerbia verbis adiuncta non modificant vnionem importatam per verbum prout est copula eorum quæ prædicantur: sed modificant ipsam verbi actionem, vel pasionem, efficiunturque pars prædicati. Quapropter hæc aduerbia non constituunt specialem enuntiationem modalem de qua inquirimus. Sunt autem dictiones, quæ vnionem prædicati cum subiecto modificant, partim aduerbia, partim nomina. Nomina quidem sunt hæc quatuor; Necessarium, Imposibile, Posibile, Contingẽs. Aduerbia verò sunt hæc quinq;: Necessario, Imposibiliter, posibiliter, Posibiliter non, & cõtingenter. Aliqui addũt vere, vel false, seu verũ vel falsum. Sed hoc superfluũ est, nam cõmune est omni enũtiationi significare vere vel false. Et qui dicit Petrus, currit, perinde est ac si diceret; Petrus verè currit. Et qui dicit Petrus non currit, affirmat falsum esse Petrum currere. Est igitur superflua consideratio illius modi vere vel false. Sed circa prædictos modos nominales & aduerbiales nota rationem quare non posuimus æqualem numerum. Nam modorum nominalium numerum quaternario finiuimus: aduerbialium verò, quinario numero terminauimus. Ratio est: quia, Posibiliter non, directe & formaliter contradicit necessario: vt postea videbimus. At vero: Posibile non: non est complexum quod sit in vsu. Nam posibile cum sit nomen, semper est subiectum, vel prædicatum, cui negatio, non, non postponitur congrue neque à parte subiecti, neque à parte prædicati. Aduerbio autem, Posibiliter, cùm de se habeat adiungi verbo, congrue adijcitur negatio: vt cum dicis Petrus posibiliter non disputat, vel Petrus non posibiliter disputat, quod est idem ac si diceres, imposibiliter; & propterea non fecimus mentionem de speciali modo, Posibiliter, cum præponitur negatio. Nota secundò, quod modi aduerbiales expresiùs & formalius constituunt modales propositiones in quibus expresior est oppositio & ęquiualentia. Ratio est, quia

Quid modus

modalis

modalis propositio denominatur à speciali modo qui specialiter in ipsa enuntiatione determinat copulæ principalis vnionem prædicati cum subiecto. Sed quando modus est nomen non determinat expresse vnionem copulæ principalis, vt patet in hac propositione, Petrum currere est possibile. In illa enim, possibile, modificat copulam infinitiui quæ se tenet ex parte subiecti cum accusatiuo, Petrum. Est enim subiectum totum illud Petrum currere; quod est dictum vel enuntiatum, non enuntiatio. Hinc sequitur quod in illa propositione. Petrum currere est possibile, non expresse exercetur ratio modalis propositionis. Similiter in eius, quæ dicitur contradictoria, Petrum currere est impossibile, non est formalis & expressa negatio principalis copulæ: neque formaliter participant in extremis: sicut neque istæ, Petrũ currere est necesse, Petrũ nõ currere est possibile quæ neq; participant in subiecto neque in prædicato, & ambæ sunt affirmatiuæ respectu copulæ principalis: ergo inter illas non est oppositio contradictionis, nisi virtualiter & æquiualenter, videlicet, quatenus sunt æquipollẽtes cum istis, necessario Petrus currit & possibiliter Petrus non currit, Habeo igitur intentum expressam rationem modalis & expressam oppositionis & æquipollentiæ legem immediatius conuenire & expressius enuntiationibus, in quibus modus aduerbialiter ponitur. Ac proinde vniuersas modales quas de dicto & modo nominali multiplicant Dialectici, reuocandas esse ad modales, in quibus modus aduerbialiter sumptus in fronte propositionis præponitur: id quod statim docebimus.


Nota tertio totum artificium ad discernendam modaliũ oppositionẽ & æquipollẽtiam inter hos modos aduerbiales debere prius constitui. Sunt itaque quinque modi aduerbiales, videlicet. Necessario, Impossibiliter, Possibiliter, Possibiliter non, & contingenter, de quo seorsum specialem considerationem sumus facturi. Nunc vero quatuor priores modi sint tibi angulares & quasi cardinales, ad quos omnis varietas in modalibus reducenda est. De quatuor itaque prioribus fingamus figuram quadratam: qualem in hac pagina oculis obijcimus

Dein-

.M.

Contrarij Contingenter. Contrarij.

A. Necessario. Contrarij. Imposibiliter. B.



C. Posibilier. Sub contrarij. Posibiliter non. D.

DEinceps sæpe breuitatis & claritatis causa his quatuor litteris A.B.C.D. vtemur ad commemorandum quatuor angulos & modos eisdem litteris affines. Accipe ergo documentum pro fundamento diiudicandæ variæ oppositionis & subalternationis & æquipollentiæ inter omnes modales.

A & B. vniuersales modi sunt. Prior affirmatiuus alter negatiuus, ac proinde contrariè opponuntur. Rursus C. & D. particulares modi sunt, C. quidem affirmatiuus D. autem negatiuus. Quo fit vt A. & D. ex diametro ad inuicem contradicant: sicut etiam B. & C. sibi contradicunt. Denique A. cum, C. subalternatim se habet, sicut & B. cum D. ita tamen vt inferiores modi sint subalternati, superiores vero dicuntur & sunt subalternãtes. Vnde sequitur, C. & D. ad inuicem subcontrariari. Quod autem quatuor prædicti modi tales ad inuicem respectus habeant, sicut commemorauimus; operæpretium est pro Nouitijs

aliquo exemplo explicare. Habent enim se illi quatuor modi & anguli instar horum.

A. Semper	Nunquam. B.
C. Aliquando sic.	Aliquando non. D.

Vides itaque in prædictis quatuor dictionibus manifestiorem differentiam oppositionis. Etenim, semper, &, Nunquam, vniuersalitatem præseferunt affirmantem & negantem. Item, Aliquando sic &, Aliquando non, particularitatē vtraque dictio ostendit alteram affirmatiuam & alteram negatiuam: & vtraque continetur subaltera vniuersali eiusdem qualitatis, ac proinde vtraque contradicit vniuersali differentis qualitatis. Vnde constat, semper & Nunquam, contrariari. Et, Aliquando sic & Aliquando non, subcontrariari. Cum igitur Necessario includat semper: & Impossibile includat nunquam, manifestum est similem proportionem habere inter se se quatuor anguli prædictarum modalium, quam habent istæ quatuor dictiones. Quæret autē aliquis, quare modum, Contingenter, à quatuor angulis exclusimus, cum tamen in alia forma modalium, vbi modus est nomen à Dialecticis in rotulis oppositionum collocetur. Ad hanc interrogationem respondetur modernos cum Petro Hispano collocasse, Contingens, in quadratis rotulis accipientes, Contingens, pro, Possibile. Alias vt cito ostendemus non poterat collocari, Contingens, in rotulis si acciperetur specialiter dictum pro eo quod possibile est esse & nō esse. Sic enim à Modernis ad regularitatem hactenus non vidi, Contingens, aut Contingenter, reductum. Imo quidam ex modernis de his modis regulam nullam dedit propter illorū irregularitatē. Nos tamē ad artē reducemus hūc modū mixtū siue aduerbialiter accipiatur vt Cōtingēter, siue nominaliter, vt Cōtingēs. Nūc autē prius Dicam⁹ de Cōtingēter, specialiter dicto, ex doctrina, Aristotelis libro 1. Priorū capite

pite 12. Vbi Contingenter dupliciter accipi insinuat. Vno modo pro Posſibili,vt continetur ſub Neceſſario. Alio modo ſpecialius pro eo quod poſsibile eſt eſſe & poſsibile eſt non eſſe. Et hoc ſecundo modo dicit, Contingenter conuerti in oppoſitam qualitatem,ita vt hæ ſint æquiualentes: Petrus contingenter currit Petrus contingenter non currit.

Nota igitur Contingenter ſpecialiter dictum eſſe virtualiter compoſitum ex C.& D.includens quandā vniuerſalitatem coniunctionis,&,non collectim, ſed diuiſim acceptæ: AEquiualet enim Contingenter,huic complexo, Poſsibiliter & Poſsibiliter non:vbi vides mixtam qualitatem; vides etiam particularitatem in modo Poſsibiliter ; vides etiam vniuerſalitatem in ipſa coniunctione, & , diuiſim accepta: ſicut eſt vniuerſalitas cum dicis Petrus & Paulus eſt homo, cuius contradictoria eſt, Petrus vel Paulus non eſt homo. In qua neceſſe fuit mutari,&,in vel. Ex dictis ſequitur primo,modum Contingenter comparatum cum A. vel cum B. opponi illis contrarie ratione vniuerſalitatis,verbi gratia hæc enuntiatio Petrus contingenter eſt albus, contraria eſt huic Petrus neceſſario eſt albus. Et ſimiliter huic Petrus impoſsibiliter eſt albus. Quod ſic oſtendo quia enuntiatio de Contingenter cum vtraque illarum repugnat in veritate & poteſt conuenire in falſitate ergo eſt ſingulis contraria. Conſequentia patet ex lege contrariarum. Antecedens ſic demonſtratur. Nam hæc Petrus contingenter eſt albus infert contradictoriam vtriuſque & non infertur ex illa, ergo repugnat cum A.& cum B.in veritate. Quod autem non repugnet cum A.& B in falſitate etiam oſtenditur per eandem regulam ſupra poſitam circa oppoſitionem cathegoricarum non modalium. Quomodo vero, contingenter,inferat ipſius A,& ipſius B,contradictorias, manifeſtum eſt. Nam bene ſequitur: Petrus contingenter currit ergo poſsibiliter currit, quæ eſt contradictoria ipſi. B. & infertur ex contingenter, à copulatiua virtuali ad partem. Rurſus per eundem locum ſequitur, Petrus contingenter currit ergo poſsibiliter non currit,quæ eſt contradictoria ipſi A. Quod autem Petrus contingenter currit non inferatur ex ſingulis prædictis contradictorijs non minus ma-

nifeſtum eſt : quia nulla eſt argumentatio à parte copulatiuæ virtualis ad totam. Sequitur ſecundo quod, Contingenter ſubalternans eſt ad C. & ad D : & C. & D. ſubalternantur illi. Ecce tibi cauſam quare extra numerum quadrati conſtitui modum, contingenter & collocaui inter A. & B. quibus ſolis opponitur : & contrarie apponitur : & imponimus nomen ipſi contingenter per litteram, M, quia mixtus modus eſt.

Iam verò hoc vnico mente comprehenſo fundamento, in figura oculis obiecta facile tibi erit ingenioſe adoleſcens omnẽ varietatẽ modaliũ, quæ fieri ſolet negatione præpoſita vel poſtpoſita, aut etiã ſimul præpoſita & poſtpoſita præfatis modis, diſcernere. Recole igitur ex præcedentibus cõmune proloquiũ; Negationẽ eſſe malignantis naturæ: quatenus totum quod poſt inuenit non ſolum deſtruit, ſed etiã eius contradictorium conſtituit. Conuertit enim vniuerſalitatem in particularitatem & particularitatem in vniuerſalitatem ; & affirmationem in negationem, & negationem in affirmationem. Ex quo ſequitur in materia maxime modalium non eſſe certius contradicere quam toti propoſitioni negationem præponere : ſicut etiam in alijs enuntiationibus non modalibus. Nota ſecundo tripliciter poſſe adiungi negationem alicui modo ex prædictis. In primis ſi vnica negatio ſingulis modis præponatur:& tunc eſt prima regula manifeſta & fundamentalis, Præpoſita negatione æquiualet ſuo contradictorio modo v.g. ſi addideris negationem ipſi A, æquiualet. D : ſi autem addideris negationem ipſi D. æquiualentiam facies cum A. & ſi addideris negationem ipſi B. reſultat æquiualentia cum C : & vice verſa hæc manifeſtiſsima ſunt, & ipſe poteris exercere. Si autem addideris negationem ipſi, M, ſicut non habet ſimplicem modum contradictorium ita neque habet modum cui æquiualeat præpoſita negatione. Nihilominus præpoſita negatione duobus modis diſiunctim ſumptis contradicit. v. g. ſi dicas. Petrus non contingenter currit, contradicis huic Petrus poſsibiliter currit vel Petrus poſsibiliter non currit, neutri tamen determinate. AEquiualet enim huic, Pe-

trus necessario vel impossibiliter currit. Nam ex ea parte qua contingenter includit possibiliter cum præponitur negatio æquiualet ipsi, B, ex ea vero parte qua includit Possibiliter non, cum præponitur negatio æquiualet ipsi, A. Sed quia includit, &, quæ est vniuersalitas, præposita negatione æquiualet, vel, quę est particularitas. Hinc sequitur has duas propositiones esse veras, Petrus non contingenter est homo, & Petrus non contingenter est equus, quia certe illa prior æquiualet huic, Petrus necessario vel impossibiliter est homo, altera vero æquiualet huic, Petrus necessario vel impossibiliter est equus. Quarum vtraque pro altera parte disiuncti vera est. Aliter potest negatio postponi illis modis cardinalibus: & tunc fit secunda regula. Si negatio postponitur ipsi, A, æquiualet suo contrario, B, & vice versa. Vt istæ sunt æquiualentes, Petrus necessario non est equus & Petrus impossibiliter est equus. Similiter & istæ Petrus impossibiliter non est homo, & Petrus necessario est homo. Tertia regula. Si negatio postponatur ipsi. C, æquiualet suo subcōtrario, imo resultat idē modus. Si autē postposueris negationē ipsi, D, similiter æquiualebit suo subcōtrario, C, id quod cōgrue facere non poteris, neq; enim vsitato modo loquēdi dices, Possibiliter nō Petrus nō currit. Sed si ita loquaris, visus es dicere, Possibiliter Petrus currit. Habes itaq; vt in summa dicā, quod postposita negatione singulis quadrati angulis, æquiualebit quilibet alteri angulo è regione posito nō ex diametro neq; deorsum aut sursum versum. Sed rogas iā: Quid si ipsi, Cōtingenter postponatur negatio, nūquid alicui alteri modo æquiualebit? Respondetur, Nulli alteri æquiualebit nisi sibimet. AEquiualēt enim enūtiationes hę, Petrus cōtingēter currit Petrus cōtingēter nō currit. Ratio huius demōstratoria est. Nam cum istæ sint contradictoriæ, Petrus currit & Petrus non currit necesse est si illarum altera est contingens & alteram esse contingentem. Alias enim darentur duæ cōtradictoriæ vel simul veræ vel simul falsæ. Si enim hæc, Petrus currit est cōtingens: & hæc nō esset contingens, Petrus non currit, tunc ista esset vel necessaria vel impossibilis. Tunc sic argumentor, si esset necessaria, ergo semper vera, & quia altera contingens erat po-

poterit esse vera simul cum contradictoria necessaria. Rursus si altera contradictoria existente contingente, altera esset impossibilis, tunc sic argumentor. Impossibilis semper est falsa, contingens vero poterit esse falsa, igitur poterit esse simul falsa cum sua contradictoria impossibili. Ecce rationem quare, Contingenter, conuertitur in oppositam qualitatem.

Tandem tertia forma variandi oppositionem vel æquiualentiam angulorum, fit per præpositionem & postpositionem negationis. Tunc est quarta regula. Anguli superiores nimirum A, &, B. præposita & post posita negatione æquiualent suis subalternatis inferioribus; & vice versa si inferioribus præponatur & postponatur negatio æquiualebũt suis superioribus subalternantibus. Exempla manifesta sunt. Nã si in angulo, A, dixeris; non necessario Petrus non disputat, perinde est ac si diceres; Posibiliter Petrus disputat. Item si in angulo, B, dixeris: Non impossibiliter Petrus non disputat, æquiualenter loqueris ac si diceres; Possibiliter Petrus non disputat. Et vice versa ipse poteris exempla proferre. Ratio huius regulæ est: nam si negatione duntaxat postposita ipsi, A, resultat æquiualentia cum, B, ita vt idem sit Necessario non atque Impossibiliter: sequitur quod si ipsi, A, simul præponatur altera negatio efficiet æquiualentiam cum; C, contradictorio ipsi, B, qui modus, C, est subalternatus ad, A, ac proinde habemus intentum necessarium esse, vt præposita, & postposita negatione resultet æquiualentia cum modo subalternato si subalternanti præponitur & postponitur negatio. Si autem præponitur & postponitur subalternato resultabit æquiualentia cum subalternante. Obserua tamẽ hãc regulam locum non habere in modo Contingenter. Ratio est quia Contingenter vt iam ostensum est, conuertitur in oppositam qualitatem. Vnde quia idem est dicere, Petrus contingenter currit & Petrus contingenter non currit; ita etiam negatione vtrique propositioni præposita; resultabit æquiualentia verbi gratiã, in istis, Petrus non contingenter currit & Petrus non cõtingenter nõ currit omnimoda æquipollentia est.

Caput secundum de Diuisione modalis in modalem diuisam & compositam.



TANDEM ad complementum doctrinæ de modalibus necessaria est cognitio diuisionis in modalem diuisam & modalem cōpositam. Hac diuisione Theologi differentes de prædestinationis & gratiæ mysterijs & libero arbitrio frequenter vtuntur. Et desumitur ex Aristotele libro 1. elencho rum cap. 3, Modalis diuisa est in qua modus taliter modificat vnionem prædicati cum subiecto, vt non postulet vtrũque secundum suas formales significationes pro eodẽ simul verificari. v. g. hæc est modalis diuisa, Album possibiliter est nigrum, quia non requirit possibilitatem vt aliquid simul fit album & nigrum: sed dumtaxat vnionem possibilem dicit prædicati cũ supposito subiecti seu cũ subiecto physico albedinis. Composita vero modalis est illa, in qua modus vnionem prædicati cum subiecto taliter modificat, vt requirat ad sui veritatem prædicatum cum subiecto secundum vtriusq; formalem significationem simul coniungi secundum exigentiam significationis modi, v. g. si dicas, Possibiliter album est nigrum, Necessario album est nigrum, Contingenter album est nigrum. In his enim enuntiationibus modus applicat suã significationem formalem ad modificandam vnionem prædicati cum subiecto secundum suas formalitates. Hinc colliges rationem quare quædam modalis dicitur diuisa & quædam alia composita. Diuisa quidẽ dicitur, quia ad diiudicandã veritatem vel falsitatem eius, necesse est seorsum resolue re subiectum vsque ad singularia absoluta: & postea examinatur veritas aut falsitas iuxta exigentiam modi modificantis vnionem prædicati cum subiecto. Hoc autem expeditè facies considerans enũtiationẽ de inesse, an in illa vnio prædicati cum subiecto sit possibilis vel necessaria vel contingens vel impossibilis. Propositio autem de inesse ea est, quę remanet dempto modo. Sed modus in modali diuisa nõ potest auferri immediate: sed prius, vt diximus, subiectum seorsum debet resolui vsque ad singularia absoluta. In modali

vero composita statim potest & debet auferri modus & relinquetur propositio de inesse cum omnibus suis formalitatibus. Hæc omnia exemplis facilius intelliguntur: Ponamus exemplum in his duabus propositionibus: Album possibiliter est nigrum, & possibiliter album est nigrum, illa prior necessaria enuntiatio est: hæc posterior impossibilis est. Quam differentiam ita diiudicamus, nam cum subiectum illius prioris antecedat modum & amplietur, facies resolutionē termini connotatiui, sub hac forma. Hoc possibiliter est nigrum, ostendendo subiectum albedinis, & hoc ipsum possibiliter est album, ergo album possibiliter est nigrum. In qua resolutione in maiori propositione, scilicet, hoc possibiliter est nigrum, iam poteris auferre modum possibiliter & manebit enuntiatio de inesse, hoc est nigrum, in qua constat vnionem prædicati cum subiecto esse possibilem. Altera vero propositio; Possibiliter album est nigrum quia modus antecedens subiectum modificat vnionem prædicati cum subiecto secundum suas formalitates, est impossibilis, sicut sua de inesse est impossibilis, album est nigrum: Vnde eius contradictoria est necessaria; impossibiliter album est nigrum. Instar huius doctrinæ poteris exercere rationem modalis compositæ vel diuisæ in alijs modis. v. g. Currens necessario est animal, modalis diuisa est & vera: hæc autem; Necessario animal est currens, composita modalis est & falsa. Item. Creans necessario est Deus, vera est: hæc autem falsa; Necessario creans est Deus. Similiter hæc est vera, Contingenter creans est Deus, & hæc falsa, Creans contingenter est Deus. Quarum differentia non aliunde sumitur, quam ex distinctione modalis compositæ vel diuisæ. Sed rogas quomodo intelligemus quando sit modalis diuisa & quando composita. Respondeo, quod vbi fuerit dubium in communi modo loquēdi, vtendū est distinctione in disputationibus, vt cōueniat inter arguentem & respondentem. Admonet enim. Aristo. in lib. 1. elencho. c. 3. cauendum esse à captionibus, quæ fieri solent cōpositione eorum quæ diuisim pronūciata vera sunt, Cōposita vero falsa sunt. Ait enim ille sic. Cōpositione vero taliter captiones fiūt, Posse sedētē ingredi, Pos

se non scribentem scribere. Neque vero idem significãt hæc diuisim pronunciata, nempe sedentem possibile esse ambulare: Non scribentem, scribere possibile esse; & iunctim, sedentem ambulare, non scribentem scribere possibile esse. Nam illud posterius perinde valet ac siquis facultatem habeat quod possit nõ scribẽdo scribere: prius autẽ illud quod non iunctim effertur, quasi facultatem scribendi, etiã qui nõ scribit, habeat. Diuisione vero captiones fiunt, vt quoniam quinque sunt duo & tria, fieri vt paria sint imparia, & maius sit æquale quia est tantum & amplius insuper. Hactenus ex Aristotele. Cuius verba de industria retuli, quoniã nõ desunt moderni Theologi irridentes distinctionẽ antiquã de sensu diuiso & composito præsertim in materia de libero arbitrio per quod homo facultatem habet etiam cum sedet, ad ambulandũ: & reuera libere sedet, quanuis impossibile sit habere facultatẽ ambulãdi dũ sedet. Neq; enim libertas est facultas ad simul faciẽdũ hæc duo: sed ad vtrũlibet, ita vt cũ determinatione ad vnũ, maneat nihilominus facultas & potestas ad alterũ, sicut manet potestas desistẽdi à priore determinatione. In hoc enim nõ cõponimus actũ cũ actu, sed facultatẽ ad alterũ actũ, etiã dũ alterũ exercet. Sed de hoc alias. Obseruet tamẽ Dialecticus nõ esse certã regulã sensus cõpositi quãdo modus, accipitur nominaliter, sicut in ista est sensus cõpositus; Albũ esse nigrũ est possibile, quæ est impossibilis, quia, facit sensum cõpositũ. Sed tamẽ in hac; sedentẽ, possibile esse ambulare, voluit Aristoteles fieri sensum diuisum, vt patet ex verbis eius citatis. Rursus nec est certa regula modalis diuisæ, quod modus accipiatur aduerbialiter; nã hæc est modalis cõposita: Possibiliter albũ est nigrum etiam si aduerbialiter modus accipiatur. Certior autẽ regula est modalis diuisæ, quando modus interponitur inter subiectum & prædicatum enuntiationis vel enũtiati quod per verbũ infinitiuũ profertur. v. g. istæ sunt modales diuisæ, Album possibiliter est nigrum. & album, possibile est esse nigrum. At vero quando modus aduerbialiter sumptus collocatur initio enũtiationis, semper est modalis composita vt hæc: Possibiliter album est nigrum. Quando vero modus est nomen, & ponitur pro altero extremo enuntiationis respectu alterius extremi.

tremi, quod est dictum siue enuntiatum infinitiui modi, semper est modalis composita, verbi gratia. Album esse nigrum est possibile: & possibile est album esse nigrum, sunt modales compositæ & reducuntur ad illas quæ sunt de modo aduerbiali posito initio propositionis, qualis est hæc possibiliter album est nigrum: cui æquiualēt illæ duæ prædictæ enūtiationes vbi modus nominaliter accipitur. Habes igitur differentiam inter modalem diuisam & compositam. Nam diuisa duplici resolutione diuisim examinanda est, vt eius veritas vel falsitas appareat. Composita vero nullo alio indiget quam immediata reductione ad suam de inesse seu præiacentem, quæ remanet ablato modo; & in illa considerare, an vnio prædicati cum subiecto habeat conditionem importatam per modum, videlicet, quòd sit necessaria vnio, vel possibilis, vel impossibilis, vel contingens: & secundum hoc iudicabitur veritas vel falsitas modalis, v. g. necessario homo est animal, vera & necessaria modalis est: quia eius de in esse siue præiacens, homo est animal, continet vnionem necessariam prædicati cum subiecto. Omnes autem modales compositæ de modo nominali, vt cognoscantur, an veræ vel falsæ sint, reducendæ sunt ad modales vbi modus est aduerbiū positum in principio totius propositionis. v. g. si velis examinare veritatem huius; Hominem non disputare est possibile, facili negotio comperies, si dictum illud de infinitiuo cōuertas in enuntiationem ex eisdem extremis & præponas aduerbium modale, v. g. Possibiliter homo non disputat. Et sic de alijs omnibus modalibus compositis, in quibus modus est nomen, agendum est ad earum veritatem vel falsitatem examinandam. Et hac via euades perplexam rotulorum varietatem, quæ fit cum propositionibus in quibus modus est nomen constituens modales compositas.

Nihilominus siquis curiosus in illis rotulis ingenium exercere voluerit, notet cum Petro Hispano sexdecim formas varias modalium compositarum: quas quidem ita diuidunt. Nam vnusquisque ex his quatuor modis, scilicet, possibile impossibile, Contingens, Necesse seu Necessarium, quatuor constituit modales propositiones distinctæ formæ: ac proinde quater quatuor efficient sexdecim distinctas formas.

mas. Prima forma est in qua neque dictum neque modus negatur. Vt Petrum disputare est possibile, Petrum disputare est necesse. Secunda forma est, inqua dictum negationem habet & non modus. Vt Petrum non disputare est possibile. Tertia forma vbi dictum negationem non includit, sed modus negatur. Vt Petrum disputare non est possibile. Quarta forma in qua tam dictum quam modus negationem habent, vt Petrum non disputare non est possibile. Aiunt ita que has quatuor formas ita se habere, Vt Prima quidem, sit contradictoria tertiæ & subcontraria secundæ & subalternata quartæ, Et eadem erit proportio si ponas exemplũ in reliquis modis. Hoc tamen obseruato, quòd contingens non debet accipi specialiter, sed dumtaxat pro Possibili: ac proinde eius annumeratio superflua est, Si autem contingẽs specialiter accipiatur, non sunt hactenus præfixæ regulæ, quomodo se habeat respectu aliorum modorum vel respectu ipsiusmet cum multiplici varietate negationis positæ in dicto vel in modo. Quam tamen diligentiam nos adhibuimus & ad regularitatem prædictum modum contingens reuocauimus, vt statim apparebit. Prius tamen contemplare communem figuram ex quater tribus formis à nobis clarius condistinctam.


Figura

A. Contrariæ B.

Petrum diſputare eſt neceſſe
Petrum nō diſputare eſt impoſsibile
Petrum nō diſputare nō eſt poſsibile

Petrum diſputare non eſt poſsibile
Petrum diſputare eſt impoſsibile
Petrum non diſputare eſt neceſſe

Subalterna



Subalterna

Petrum diſputare eſt poſsibile
Petrũ diſputare non eſt impoſsibile
Petrũ non diſputare non eſt neceſſe.

Petrum non diſputare eſt poſsibile
Petrũ non diſput. nō eſt impoſsibile
Petrum diſputare non eſt neceſſe.

Subcontrariæ

C. D.

HAE omnes formæ ita ſe habent vt quilibet ternarius intra ſuum quadratum tres æquipollentes cōtineat: ac proinde cui quælibet contrariabitur omnes erunt contrariæ,& cui quælibet contradicit, omnes contradicũt: & cui quælibet fuerit ſubcontraria,& omnes eidem ſubcontrariæ erunt.Et denique cui quęlibet fuerit ſubalternans vel ſubalternata,& reliquę eiuſdē quadri eidē erũt ſubalternātes vel ſubalternatæ. Quamobrē eiſdē litteris anguli cuiuſlibet quadrati deſignātur,ſicut diſtinximus ſupra angulos quadrati aliarũ modaliũ de aduerbiali modo. Videlicet. Vt.A.& B. contrarientur,& C.& D.ſubcontrariētur,ita ſane vt, C, ſit ſubalternata ad,A,& contradictoria ipſi,B.Et vice verſa,D. quæ eſt ſubalternata ad B. ſit ſubcontraria ad C. & contradictoria ipſi , A. In qua figura in promptu habebis omnem varium reſpectum inter modales compoſitas de modo nominali ſed breuius , vt dixi comprehendes tales reſpectus ſi immediatę reduxeris eas modales ad illas priores

modales

modales compositas vbi modus aduerbialis antecedat totam enuntiationem constantem ex eisdem terminis ex quibus constat dictum de infinitiuo tempore.

Iam vero de contingenti specialiter sumpto vt nomen, certas leges ferre necesse est. Hunc laborem ex modernis neminem suscepisse video: sed potius quosdam de industria de contingenti certa documenta dare prætermisisse.

Aduertendum est igitur hoc nomen, contingens specialiter dictum, esse virtualiter mistæ qualitatis & quantitatis. AEquiualet enim huic complexo; Possibile esse & Possibile nõ esse. Vbi sicut supra diximus de aduerbio, Contingenter, Coniunctio, &, accipitur diuisiue & est vniuersalitas coniungens duas particularitates alterãm affirmatiuam alteram negatiuam, videlicet Possibile esse & Possibile non esse, & hæc est causa, quare, Contingẽns non subit communem legem aliorum modorum, Hoc supposito. En tibi nouam & especialem figuram vbi possis meditari omnem possibilem respectum enuntiationum modalium diuersarum formarum quæ variantur instar prædictarum modalium ex dicto & modo compositarum. In qua figura facile perspicies oppositionem vel æquiualentiam vel subalternationem, quam habet hic modus contingens cum alijs quatuor modis nominaliter acceptis.

Figura

A. Contrariæ. B.

Petrũ currere est cõtingens.
Petrũ nõ currere est cõtingẽs.

Æquipollẽtes.

Petrũ nõ currere, nõ est impossibile vel neces. (ces.
Petrũ cur. nõ est impos. l. ne-

Petrum currere, est necesse.
Petrum nõ currere est impossibile.

Æquipol.

Contrariæ.

Petrum currere est impossibile. (cesse.
Petrum nõ currere est ne-

Æquipol.

cõtrarie

SVBALTERNATÆ.

CONTRADICTORIAE

CONTRADICTORIÆ

Contradictoriæ Omnes.

SVBALTERNATÆ.

Subalternantes ad totum. C.

Subalternate ad totum. B.

Æquipol.

Petrũ currere, est possibile.
Petrum non currere, non est impossibile.

Subcontrariæ.

Petrum nõ currere, est possibile.
Petrũ currere, nõ est necesse

Æquipol.

cõtrarię.

Petrum currere non est contingens. [tigens.
Petrũ non currere, nõ est cõ

Æquipolentes.

Petrũ currere, est impossibile. l. neces. (sibile. l. neces.
Petrũ nũ currere, est impos-

C. Subcontrariæ. D.

In præfixa figura sunt quatuor quadrati. A, &, B. superiores, & C.&, D, inferiores. Deinde in quolibet quadrato sunt duo binarij enuntiationum, ita vt sexdecim sint enuntiationes omnes modales compositæ: sed varios respectus ad inuicem habent. Primus respectus inter totum quadratum, A, & & totum quadratum, B, est contrarietatis. Secundus respectus principalis est totius quadrati, C, cum toto quadrato, D, sub contrarietatis. Tertius respectus consideretur inter totum quadratum, A, & totum quadratum, C, qui est subalternationis: ita vt enuntiationes in, A, sint subalternantes & enuntiationes in, C, sint illis subalternat. Quartus respectus est similis præcedenti inter totum B.& totum, D: ita vt, B, sit subalternans &, D, subalternetur. Prædicti quatuor respectus regulares esse videntur ex quibus videbatur consequi, vt totum, C, contradiceret toti, B Sed non ita res habet: quia duo binarij in, C, non sunt æquipollentium inter se, sed totus binarius superior subcontrariatur toti binario inferiori. Et similiter duo binarij collocati in, B, non sunt æquipollentium inter se, sed binarius superior qui est duarum æquipollentium contrariatur binario inferiori, qui est aliarum duarum æquipollentium. Et tota irregularitas est inter quadratum, C, & B. Nam inter. A &. D. tãtum est respectus contradictionis, eo quod duo binarij in, A, sunt æquipollentes, & duo binarij in, D, sunt etiam æquipollentes. Quintus ergo respectus etiam regularis sit inter totum quadratum, A, & totum quadratum, D, qui contradictionis respectus est. Iam verò Sextus respectus inter superiorem binarium in, C, & superiorem binarium in, B, subalternationis respectus est. Sed ad inferiorem binarium in, B, contradictionis est respectus. Septimus respectus tandem considerãdus est inter inferiorem binarium in, C, ad superiorem binarium in, B, contradictionis, & ad inferiorem subalternationis. Atqui hoc pacto, Contingens, permiscetur cum alijs modis iuxta prædicta documenta: quæ si morosè examinaueris, verissima esse inuenies: si vsus fueris illis duabus certissimis regulis: Quando affirmatiua infert contradictoriam negatiuæ & non infertur ex illa sunt enuntiationes contrariæ. Item quando ex contradictoria negatiuæ infertur affir

matiua

matiua & non infert illam, erunt subcontrariæ. Ex quibus respectibus facile est alios respectus contradictionis vel subalternationis colligere.

Hæc omnia operose nimis meditati sumus, vera quidem illa, sed fortassis non tam necessaria, quam subtilia: inquanuis vtilitatis nonnihil habeant ad adolescentium ingenia exercenda. Veruntamen, vt sæpe admonui, breuiori compendio veritatem aut falsitatem prædictarum modalium compositarum de dicto pro subiecto & modo pro prædicato, deprehendes: si singulas ad alias modales de aduerbiali modo reduxeris. Quæ reductio ita fit. Permutabis quidem dictum cum sua quantitate & qualitate in enuntiationem, cuius est enuntiatum & dictum. Similiter & modum quod est nomen permutabis in aduerbium cum sua qualitate, & constitues in fronte enuntiationis. Accipe duo exempla. Hæc modalis composita. Petrum non currere non est impossibile vel necessarium, reuocatur ad istam. Non impossibiliter vel necessario Petrus non currit, & inuenies esse æquiualentem cum ista, Petrum currere est contingens, quæ etiam reducitur ad hanc, Contingenter Petrus currit. Et ratio est manifesta, quia Contingenter contradicit huic complexo, Impossibiliter vel necessario, ergo si addideris negationem supra Impossibiliter vel Necessario, dicens; Nom impossibiliter vel Necessario Petrus non currit, æquiualebit huic; Contingenter Petrus currit: & etiam huic: contingenter Petrus non currit, siquidem contingenter conuertitur in oppositam qualitatem, vt iam dictum est. Ac proportionabiliter per te ipsum poteris alias propositiones modales de dicto & modo nominali reuocare ad enuntiationes de modo aduerbiali, obseruando præfatum documentum. Quæ omnia prudens prætermitto, ne prolixus & molestus tibi sim (ne dicam) iniurius parum de tuo ingenio confidens. Neque verò ipse suspiceris, nos in hac parte diminutos fuisse: quia nullā mētionē fecerimus de, Amabimus, & Edētuli & Iliace, & Purpurea: quibus dictionibus significabāt Hactenus Summulistæ

liste varietatē modialium compositarum. Etenim nos mul to distinctius nostris literis. A. B. C. D. illam varietatem explicatam dedimus. Neque exempla posuimus in terminis communibus sed in singularibus: propterea quod circa distributionem aut particularitatem terminorum communium non sunt necessariæ aliæ regulæ, quàm quæ in primo tractatu huius libri positæ sunt: eo vel maxime si reduxeris propositiones modales de dicto & modo nominali ad modales enuntiationes de modo aduerbiali atque hactenus de modalibus dicta sufficiant.

TRACTATVS TERTIVS DE Exponibilibus.

Caput Primum. De exclusiuis.



ANDEM in hoc tertio tractatu ad complementum doctrinæ de omnium cathegoricarum enuntiationum oppositione & æquiualentia, necesse est de exponibilibus aliqua documenta proferre. Est autem exponibilis enuntiatio quæ ratione alicuius dictionis siue syncathegorematicæ siue cathegorematicæ obscurum implicat sensum, qui per alias enuntiationes explicatione opus habet. Huiusmodi enuntiationum prima species est exclusiuarum, quę modificantur hoc syncathegoremate tantum, vel duntaxat, vel similibus. Possunt autem huiusmodi syncathegoremata aliquando quidem constituere propositionem, quam dicunt de excluso extremo; vt Petrus est tantum Dialecticus. Aliquando vero constituunt propositionem exclusiuam: vt, tantum animal est homo, Vtrolibet autem modo possunt adhuc dupliciter excludere. Vno modo gratia alietatis, vt in exemplis positis. Altero modo gratia pluralitatis quando circa numerum fit exclusio: vt; tantum decem sunt prædicamenta; & Planetæ sunt tantum septem. Deinceps exclu-

Quid sit exponibilis.

clu-

clusiuarum propositionum in quibus est specialis difficultas quæ grãmatici facultatem superat, quadruplex est forma siue species. Prima est pure affirmatiuarum: vbi neque dictio exclusiua, neque verbum negatur. Vt tantum animal est homo. Secunda forma est, vbi negatio vnica fertur in modum & in verbum, vt non tantum animal est homo. Tertia forma est, vbi modus non negatur & negatur verbum. Vt, tantum accidens non est substantia. Quarta forma vbi negatio fertur inmodum: & verbum relinquit affirmatum. Vt non tantum albedo, non est substantia: vbi verbum, est, propter con cursum duarum negationum affirmatum relinquitur. His suppositis, accipe formas quatuor exponendi huiusmodi exclusiuas exponibiles. Prima forma expositionis primi generis exclusiuarum est & fit per vnicam copulatiuam, quarum prima cathegorica sit affirmatiua scilicet ea quæ relinquitur dēpto signo exclusiuo. Altera vero cathegorica debet esse negatiua, vbi idē prædicatū negandū est de omni alio à subiecto (si fiat expositio gratia alietatis. v. g. Tantū animal est homo habet hanc copulatiuā explicantem scilicet, animal est homo; & nihil aliud ab animali est homo, Si autē exclusiua dictio excludat gratia pluralitatis, vt tantum decem sunt prædicamenta, erit hæc copulatiua exponens, decē suntprę dicamēta & non plura quā decē sunt prædicamēta, Secunda forma pro secūdi generis exponibilibus debet essecontradictoria præcedenti, sicut ipsa exponibilis contradictoria est primæ formæ. Vnde erit disiunctiua cōstans ex duabus contradictorijs respectu partiū prædictæ copulatiuæ hoc pacto: Non tantum animal est homo, nullum animal est homo vel aliquid aliud ab animali est homo, Deinde tertij generis exclusiua etiā copulatiue exponitur, ita vt prior cathegorica sit præiacens dēpto signo exclusiuo, & altera sit vniuersalis affirmatiua, vbi affirmetur prædicatū de omni alio à subiecto exclusiuæ. Vt si dicas, tantum accidens non est substantia: has duas dabis exponētes; Accidens non est substātia, & omne aliud ab accidēti est substantia. Similiter in numeris, tātū nouē homines non faciunt populum sic exponitur, nouē homines non faciunt populum, & omnes plures quam nouem congregati faciunt populum. Denique quarti

generis exclusiua exponitur per disiunctiuam contradictoriam ad præcedentem copulatiuam. Designantur autem prædictæ quatuor formæ his dictionibus, Iste, regit, Prorã, Clauo, Ita sane vt per vocalem, I, particularem affirmatiuã intelligas & per, E, vniuersalem negatiuam. A, vero vniuersalem affirmatiuam designat, & O particularẽ negatiuam notat. De sola forma primi generis datur regula conuersionis, siue æquipollẽtię. AEquipollet enim vniuersali affirmatiuæ permutatis extremis, vt tantum animal est homo, æquiualet huic omnis homo est animal, & vice versa. Vnde ex consequenti enuntiatio exclusiua secundæ formæ quæ est contradictoria primæ formæ æquiualebit vni particulari negatiuæ permutatis extremis. v.g. Non tantum animal est homo, æquiualet huic, non omnis homo est animal, siue huic quidam homo non est animal.

Hactenus de exclusiuis dicta sufficerent, nisi Sophistæ importunis subtilitatibus nos plura dicerere cogerent, & illis respondere ne videantur soli sibi sapere. Quamobrem vnicum aut alterum documentum obseruandum proponemus ad discernendam oppositionem vel æquiualentiam inter huiusmodi exclusiuas. Primum documẽtum sit. Propositis duabus exclusiuis ex eisdem extremis, recurrendum est ad illarum exponentes: & quo pacto videris vtriusque exponentes collectiuè consideratas se se habere cum alterius exponentibus: ita se habebunt ipsæ exponibiles. Alterum documentum est quod superius fuit datum, non esse certius contradicere quam toti propositioni negationem addere. De alijs vero speciebus oppositionis nullã certiorem regulã habebis, quam considerare exclusiuarum exponentes simul sumptas & è regione comparatas, & quomodo inter se repugnauerint, ita & exponibiles sese adinuicem respiciẽt. Nam si ipsæ exponentes in sola veritate repugnauerint, tunc exponibiles erunt contrariæ, vt tantum homo est albus, tantũ homo non est albus. Quia exponibiles affirmatiuæ exclusiuæ sunt hæ; Homo est albus & nihil aliud ab homine est album. Exponibiles autem alterius negatiuæ sunt hę; Homo non est albus & omne aliud ab homine est album. Vterque autem binarius exponentium potest esse simul falsus, non

autem verus, verbi gratia in casu quo sint equi albi & nigri. Veruntamen nullo modo possunt esse simul veræ. Ratio est euidens quia inferunt per bonam consequentiā duas con tradictorias. Nam inferunt duas vniuersales contrarias, scilicet: Nihil aliud ab homine est album & omne aliud ab homine est album. Vnde si antecedens esset verum consequēs etiam esset verum. Rursus si exponentes repugnauerint in sola falsitate, tunc exponibiles erunt subcontrariæ. Exēplū est in exponentibus secundæ formæ comparatis cum exponentibus quartæ formæ v.g. exponentes huius, Non tātum homo est albus, sunt hæ, Nullus homo est albus vel aliquid aliud ab homine est album. Item exponentes huius: Non tā tum homo non est albus, sunt hæ; omnis homo est albus vel aliquid aliud ab homine non est album, vtraque autem disiū ctiua repugnat in sola falsitate cum altera. Et probatur, quia illæ duæ disiunctiuæ inferuntur ex duabus expressis subcō trarijs argumentando à parte disiunctiuæ ad totam v.g. ex istis, aliquid aliud ab homine est album & aliquid aliud ab homine non est album, ergo illæ exponentes repugnant tān tum in falsitate. Probatur consequentia, quoniam alias in bona consequentia daretur antecedens verum & consequēs falsum. Nam antecedēs quod est duæ subcontrariæ, potest esse verum pro vtraque parte, ex qua infertur vtraque pars con sequentis ergo tunc vtraque non potest esse falsa. Tandē vt facilius possis discernere variam oppositionem exclusiuarū constitue tibi quadratum consuetum. A. B. C. D. & in angulo. A. scribe tantum homo est albus, & in angulo B. Tātum, homo non est albus & in angulo C. Non tantum homo non est albus & in angulo D. Non tantum homo est albus.

Sintque, A. & B. superiores anguli & inferiores C. & D. ita vt C. ex diametro respiciat, B, D, autem ex diametro respiciat, A.

A. B.

Contrariæ.

Tantum homo est albus. *Tantum homo non est albus.*

Subalterna *Contradictoria* *Contradictoria* *Subalterna*

Non tantum homo non est albus. *Non tantum homo est albus*

Subcontrariæ.

C. D.

NVnc ergo confidera quomodo A. & B. contrariãtur. Et quomodo C.& D.subcontrariantur inter se. Sunt autem subalternatæ ad superiores quas sursum versum ex directo respiciunt. At vero vtraque est contradictoria ei quam ex diametro respicit. In hoc quadro poteris meditari proportionabiliter, quæ cõsiderauimus in figura Modaliũ, videlicet, quomodo demõstrentur. C. &, D. subcõtrariari, quia vtraque est contradictoria subalternanti alterius: ac proinde ex falsitate vtriusque sequitur veritas alterius sicut sequitur veritas subalternantis respectu alterius subcõtrariæ. Vnũ tamẽ singulare in præsenti quadrato inuenies. Cũ enim, A, æquialet huic, omnis homo est albus, & consequenter D, quæ est contradictoria ipsi A, scilicet, Non tan tũ homo est albus, debeat æquiualere huic. Albũ non est homo; nihilominus inter B. & C. quæ sunt contradictoriæ, non inue-

inuenies illã proportionem,vt vtrique posſis aſsignare cathegoricam æquiualentem permutatis extremis: ſed duntaxat,B.& C.ſuis exponentibus hypotheticis contentæ ſunt. Aduerte etiam quod quotieſcũque in prædictis angulis terminus cõmunis antecedit dictionẽ excluſiuã vt in hac, Homo tantũ eſt albus,non poteris excluſiuã immediate exponere:ſed prius debes ſingularizare ſubiectũ ſecundum regulas aſcenſus vel deſcenſus:quo ſingularizato poteris procedere ad exponentes. In quibus omnibus ſemper debet eſſe regula cõmunis modus loquendi ſapientum. Debetque obſeruari ne in exponibilibus contingat aliquis defectus contra cõmunes regulas proprietatũ logicaliũ.Huius rei exẽpla de induſtria prætermittimus:quoniam eſſet abire in infinitum.Scio ingenioſis adoleſcentibus prædicta principia ſufficere:alijs vero plura proponere maioris confuſionis cauſam eſſe.

Caput de exceptiuis.



SECVNDVM genus exponibiliũ eſt Exceptiuarum.Eſt autẽ exceptiua enuntiatio quæ modificatur hoc ſyncathegoremate, Præter, vel aliquo alio ſimili, quale eſt, Niſi, excepto. Harum exceptiuarũ quatuor formæ inſtar excluſiuarũ diſtinguuntur.Quas etiam formas poteris colloca re in ſimili quadrato A. B. C. D.Prima forma eſt vbi neque modus neque verbũ negatur.Vt omne animal præter hominem eſt irrationale.Secũda forma eſt contradictoria vbi negatio præmittitur in totã propoſitionẽ primæ formæ,vt,nõ omne animal præter hominẽ eſt irrationale. Tertia forma eſt,vbi dũtaxat verbũ negatur,vt omne animal præter hominẽ nõ eſt irrationale. Quarta forma eſt cõtradictoria tertiæ,In qua negatio præponitur ſupra tertiã formã. Vnde ipſum verbũ relinquitur affirmatũ,vt Nõ omne animal præter hominẽ nõ eſt irrationale. His ſuppoſitis,cõſtitue primã formã in angulo A.& tertiam formã in angulo B.quæ eſt contraria primæ.Item ſecundam formã conſtitue in angulo D. quæ ex diametro eſt contradictoria primæ formæ. Deniq; quartã formã conſtitue in angulo C.quæ ex diametro eſt

contradictoria tertiæ formæ. Exponuntur autem istæ formæ differenter iuxta differentiam oppositionis; quam adinuicem habent. Enuntiatio quidem primæ formæ exponitur copulatiuè per tres exponentes, quarum prima dicitur præiacens, quæ relinquitur dempto syncathegoremate. Præter, & loco eius ponitur hoc complexum, aliud ab, & pars excepta debet poni in ablatiuo. Altera est vniuersalis affirmatiua in qua affirmatur terminus cõmunis à quo fit exceptio: affirmatur inquam, de parte excepta. Tertia est vniuersalis negatiua in qua negatur prædicatum de parte excepta cuius exemplum est. Hæc est exceptiua; omne animal præter hominem est irrationale. Eius prima exponens est; omne animal aliud ab homine est irrationale. Secunda est: omnis homo est animal & tertia est. Nullus homo est irrationalis. Quas tres veritates virtualiter includit illa exponibilis. Secunda vero forma exponitur disiunctiue per tres contradictorias singulis propositionibus primæ formæ. Deinde proportionabiliter tertia forma exponitur copulatiue per tres propositiones, videlicet, per primam præiacentem instar præiacentis primæ formæ, & secundam vniuersalem affirmatiuam, in qua prædicatur terminus à quo fit exceptio de parte excepta, & tertiam vniuersalem affirmatiuam in qua prædicatum affirmatur de eadem parte excepta. Est exemplum, omne animal præter hominem non est irrationale quæ sic exponitur, omne animal aliud ab homine non est irrationale, & omnis homo est animal, & omnis homo est irrationalis. Denique quarta forma exponitur contradictorio modo ad tertiam, videlicet, disiunctiue per tres enuntiationes singulas singulis tertiæ formæ contradictorias, Has autem quatuor formas totidem dictionibus Dialectici designant: videlicet Lauate. Comoti. Peccata, hisopo. Vocalibus significantibus quantitatem & qualitatem exponentium sicut dictum est de exclusiuis.

Hæc omnia communia sunt apud Dialecticos, quæ profecto magis ad latinæ linguæ peritos pertinere videbantur. Et idcirco nolumus in huiusmodi amplius immorari. Sed duntaxat hoc admonere eandem proportionem posse ser-

se seruari inter exceptiuas constituto quadrato, quæ seruata est in exclusiuis.

Caput tertium De reduplicatiuis.



ERTIVM genus exponibilium est earum enuntiationum, quas reduplicatiuas vocant: quarum consideratio vtilior est pro metaphysicis & Theologis, quàm consideratio de exclusiuis & de exceptiuis. Est autem reduplicatiua propositio, quæ modificatur hoc syncathegoremate: In quantum, vel similibus: qualia sunt: quatenus, secundum quod, Qua ratione, vt sic, Prout. Solent autem accipi hæc syncathegoremata dupliciter. Vno modo specificatiue & alio modo reduplicatiue. Specificatiue quidem dicuntur accipi, quando designant seu determināt aliquam naturam vel formam aut partem secundum quam prædicatum conuenit subiecto vel denotatur conuenire. Et est sæpenumero dictio diminuens vt AEthiops est albus secundum dentes. Christus in quantum homo est creatura, Cognosco Petrum in quantum venientem. Si igitur, In quantum, prædicto modo accipiatur non opus est alia expositione quam exprimere naturam vel formam vel partem ratione cuius denotatur prædicatum subiecto conuenire, verbi gratia si dicas Christus in quantum homo est creatura sic explicabitur, Christus ratione humanitatis duntaxat dicitur creatura. Et AEthiops est albus secundum dentes, denotat AEthiopem non esse album simpliciter sed in dentibus habere albedinē. Sed quando reduplicatiue accipitur semper denotat causalitatem in significato termini modificati. Et secundum hanc considerationem quatuor formæ reduplicatiuarum cō stituuntur. Prima forma est in qua dictio reduplicatiua & verbum affirmantur, vt omnis homo in quantum rationalis est risibilis. Secunda forma est contradictoria primæ in qua dictio reduplicatiua & verbum simul vnica negatione negantur. Vt non omnis homo inquantum rationalis est risi-

 bilis.

bilis. Tertia forma eſt in qua dictio excluſiua non negatur; ſed ſolum verbum negatur, vt, omnis homo in quantum rationalis non eſt riſibilis. Quarta forma eſt contradictoria tertiæ, vbi dictio excluſiua negatur & verbum duplici negatione manet affirmatum. Vt, non omnis homo inquantum rationalis non eſt riſibilis. Hoc ſuppoſito prima forma copulatiuè exponitur per quatuor exponentes, & fortaſsis idcirco reduplicatiuæ dicuntur huiuſmodi exponibiles; quia bis duplicant exponentes. Prima itaque forma ſic exponitur copulatiue. Vt prima exponens ſit præiacens, quæ remanet ablata dictione, inquantum. Secunda vero eſt affirmatiua, in qua terminus reduplicatus affirmatur de ſubiecto exponibilis ſiue diſtributo ſiue non diſtributo. Tertia propoſitio eſt vniuerſalis, inqua debet affirmari prædicatum de termino reduplicato. Quarta enuntiatio eſt cauſalis, in qua exprimitur ratio connexionis prædicati cũ ſubiecto. Eſt exemplum. Omnis homo inquantum rationalis eſt riſibilis. Sic exponitur, omnis homo eſt riſibilis: & omnis homo eſt rationalis: & omne rationale eſt riſibile: &, quia aliquid eſt rationale ideo eſt riſibile. Deinceps ſecunda forma, ſcilicet, Non omnis homo inquantum rationalis eſt riſibilis, ſicut eſt contradictoria primæ; ita exponitur contradictorio modo, videlicet, diſiunctiuè per quatuor propoſitiones, quarum ſingulæ contradictoriæ ſunt ſingulis exponentibus primæ formæ: vt tu ipſe poteris exercere. Iam tertia forma exponitur copulatiuè per quatuor exponentes; quarum prima eſt præiacens, & ſecunda debet eſſe affirmatiua inqua affirmetur terminus reduplicatus de ſubiecto exponibilis, tertia vero debet eſſe vniuerſalis negatiua, in qua negetur prædicatum de termino reduplicato, & quarta debet eſſe cauſalis, vbi exprimatur ratio remotionis prædicati à ſubiecto, v.g. omnis homo inquantum rationalis nõ eſt riſibilis, ſic exponitur; omnis homo non eſt riſibilis, & omnis homo eſt rationalis, & nullum rationale eſt riſibile, & ſi aliquid eſt rationale, ideo nõ eſt riſibile. Denique quarta forma eſt contradictoria tertiæ, ac proinde diſiunctiue debet exponi per quatuor propoſitiones ſingulas contradicto

rias

rias exponentibus tertiæ formæ. Hactenus dicta à nobis cõmunia sunt. Circa quæ tamen aliqua aduertere per necessarium est pro superioribus disciplinis Theologia scilicet & metaphysica.

Notandum ergo in primis circa distinctionem illam quæ facta est de syncathegoremate, in quantũ, & similibus, videlicet aliquando accipi specificatiue aliquãdo vero reduplicatiue, Notandũ inquã est, dictionẽ illã specificatiue, æquiualere huic, designatiuè; seu, determinatiue, ob id quia dictio, inquantũ, designat & determinat in significato termini, cui apponitur, aliquã rationem aut formam aut notionem aut partem secundum quam prædicatum subiecto conuenire denotatur, & hoc modo adhuc dupliciter potest accipi primo quatenus designat conceptum vel notitiam rei significatæ, ratione cuius prædicatum denotatur conuenire subiecto, & tunc profecto est quædam appellatio rationis. Vt si dicas Petrus inquantum homo est species, cuius sensus est, Petrus quatenus concipitur conceptu cõmuni hominis est species vniuersalis. Si autẽ dictio, Inquantum, designaret realem rationẽ hominis esset falsa illa propositio, quia esse speciẽ neque ponitur in diffinitione hominis, neque realis eius proprietas est: sed valde accidẽtaliter prædicatur species de homine, nec secundum aliquod accidens reale sed rationis verificatur de homine speciẽ esse. Altero modo potest accipi, Inquantum, ita vt designet aliquam realem naturam vel partẽ ratione cuius & non alias denotatur prædicatum subiecto conuenire, & hoc modo semper est dictio diminuens. Non enim prædicatum absolute conuenit subiecto, sed cũ illo addito sicut dicitur AEthiops albus secũdum dentes. Sic etiam Christus Dominus in quantũ homo est factus. Absolute tamen non dicitur factus. Obseruãdũ tamen est huiusmodi dictiones specificatiue acceptas aliquando apponi nõ tã necessitatis causa quam explicationis gratia, v.g. cũ dicimus bonũ inquantum bonum est obiectũ voluntatis, Ens inquãtũ ens est obiectum intellectus: & tamen sine illo addito ens est obiectum intellectus & bonum obiectum voluntatis. Hac etiam ratione explicationis gratia dicimus, filius Dei in quã-

tum

tum homo mortuus est pro nobis. Quæ propositio etiam ablata dictione specificante, remanet vera, scilicet filius Dei mortuus est pro nobis, sicut & filius Dei natus est ex Virgine. Huius etiam rei gratia quanuis hæc sit vera; Petrus est crispus absolute loquendo; tamen solemus adijcere secundum caput: quæ dictio non est diminuens, sed potius explicatiua prioris. Docet enim D. Thomas 3. part. quæst. 16. art. 8. ea quæ indifferenter conueniunt toti vel parti quando soli parti conueniunt, non attribuimus ea simpliciter toti, vt non dicimus AEthiopem esse album: sed secundum dentes. Quando vero aliquod prædicatum soli parti potest conuenire, tunc absolute dicitur de toto, si soli parti conueniat, & sic dicitur simpliciter homo crispus etiam si tantum in capite crispitudinem habeat.

Altera acceptio dictionis, In quantum & similium est quando reduplicatiuè sumuntur. Hoc est quia illarum officium est denotare rationem causæ quærendam esse in significato termini cui adiunguntur. Ex quo sequitur, quod sicut est quadruplex genus causæ: ita dictio in quātum potest denotare quadruplicē rationem causæ scilicet formalis vel materialis vel efficientis vel finalis. Exemplū primi, Petrus inquantum habet albedinem est albus, & in quantum habet animā est viuens. Exemplum secundi, Petrus in quantum est compositus ex contrarijs est corruptibilis, Exemplum tertij, Ignis in quantum est calefactiuus calefacit, aut Petrus in quantum artifex ædificat. Vbi aduerte, quòd quando designatur causa efficiens non est opus tertiam exponentem esse vniuersalem, scilicet, omnis ædificator ædificat sed sufficit, omnem artificē esse ædificatiuum virtute artis ædificandi. Et hoc modo istæ propositiones dicuntur per se, ædificator ædificat, medicus curat, & de ratione boni est se communicare, hoc est, esse communicatiuū sui, & quando se communicat, agit quod decet naturam boni. Exemplum quarti est, finis in quantum finis est principium electionis. Nihilominus aliquando huiusmodi dictiones accipiuntur non proprie causaliter designando causam secundum rem, sed secundum quod effectus solet esse causa cognoscendi realem causam, v. g. Astrologus cognoscit terram interpositam inter

ter solem & lunam in quantum videt lunam ecclypsari. Cũ tamen si, In quantum, designaret causam realem potius vice versa dicendum esset, Astrologus scit lunam eclypsari, in quantum cognoscit terram interpositam inter solem & lunam. Aliquid simile accidit in dictione Quia, verbi gratia, si quis affirmet solem iam ortum esse, & alter interroget, vnde scis ortum iam solem? Recte respondebit, quia video splẽdorem eius per fenestræ rimulas intrantem. Necesse erit itaque in disputationibus, ne laboretur in æquiuoco, vniuersa hæc in promptu habere. Quæ omnia vt magis explicentur tres quæstiones, vel quatuor disputare visum est.

Caput quartum. De tribus quæstionibus circa reduplicatiuas.



Væstio prima; an sint necessariæ quatuor exponentes in singulis quatuor formis reduplicatiuarum. Arguitur primo pro parte negatiua. Nam in prima & tertia forma tertia exponens superflua videtur ergo. &c. Probo antecedens, quia tertia exponens includitur in quarta, videlicet, quia aliquid est rationale illud est risibile, quæ includit virtualiter, omne animal rationale est risibile. Etenim causalis enuntiatio vniuersalis est. Et eadem est ratio de tertia exponẽte tertiæ formę: ac proinde etiam in secũda & quarta forma quæ sunt earũ cõtradictoriæ superflua erit tertia exponens. Arguitur secundo. Prima exponens etiã continetur in tertia & secunda, ergo illa est superflua. Probo antecedens, nam bene sequitur: omne rationale est risibile & omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Conclusio est prima exponens, præmissæ autem prima & secunda. Ergo ex illis sequitur prima, ergo vel prima vel tertia est superflua. Arguitur tertio & probatur quod prima & tertia exponentes sint superfluæ. Nam si secunda & quarta inferunt tertiam: & rursus secunda & tertia inferunt primam, ergo secunda & quarta inferunt primam per regulam; Quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ sequitur ad eius antecedens. Denique

nique probatur, vnicam exponentem sufficere ad expositionem huius; Omnis homo in quantum rationalis est risibilis. Nam hæc causalis sufficit: Quia homo est rationalis, est risibilis. Et probatur quia in illa includitur, omnis homo est risibilis & homo est rationalis & omne rationale est risibile, & quia aliquid est rationale ipsum est risibile. Pro solutione huius dubij nota aliud esse assignare æquiualentē vel æquiualentes enuntiationes ipsi exponibili, & aliud esse exponētes proferre quæ explicēt ꝙ implicite cōtinetur in exponibili. Hoc supposito, respondetur ad dubiū & sit prima cōclusio, si tantum æquipollentiæ rationem habeamus, hæc propositio, omnis homo inquantum rationalis est risibilis, conuertitur cum ista omnis homo quia rationalis est risibilis est. Nihil enim veritatis continetur in vna quod non contineatur in alia. Secunda conclusio. Si explicationis rationem habeamus, multo conuenientius quod implicitum est in illa exponibili; omnis homo in quantum rationalis est risibilis, explicatur per quatuor illas enuntiationes, quam per tres & quam per duas vel vnam: Probatur: quia illa exponibilis quatuor illas veritates in se implicat, ergo per eas explicite & distincte positas conueniēter exponitur. Hoc enim dicit ratio exponibilis, vt quod implicitum est explicetur. Tertia conclusio. Illa quarta exponens: scilicet; Quia aliquid est rationale est risibile, conuenientius ponitur, quā ista: Quia homo est rationalis est risibilis. Ratio est, quia formalius exprimitur adæquata ratio causalitatis, per terminū trāscēdentem, quam per specificum nā specificū includit in se animal, quod non est ratio risibilitatis. At vero terminus trāscendēs non facit compositionem cum, rationale, vt constat apud Metaphysicos. Vltima conclusio. Si loco dictionis, In quantum substituatur dictio, quia, æquipollētiam efficit & æquiuocationem syncathegorematis, In quantum, tollit: dum causaliter & reduplicatiue dictio, Quia, denotat accipiendum esse terminum inquem fertur. Et profecto conuenienter potest dici hanc causalem sufficere ad explicandum sensum huius exponibilis: Omnis homo inquantum rationalis est risibilis. Quoniam hæc causalis requirit ad sui veritatē, quod antecedēs sit verum & quod sit bona consequentia & ꝙ ante-

tecedēs sit causa cōsequentis. Vt iā in superioribus dictū est.

Ad argumenta in oppositum Respondetur omnia illa cō firmare nostram primam conclusionem. Sed quatenus mili tant contra alias conclusiones, neganda est semper conse- quentia propter rationē fundamenti à nobis præsuppositi.

Quæritur secundo quomodo supponant termini cōmu- nes positi in reduplicatiuis. Loquor autem de suppositio- ne quātum ad quantitatē secundū distributionem aut par- ticularitatem, vel confusionem vel determinationem. Res- pondetur & sit prima conclusio. In reduplicatiuis omnes ter mini præter terminum modificatum illo syncathegorema- te, inquantùm, supponunt secundum exigentiam signorum sicut in alijs simplicibus cathegoricis. v.g. in hac propositio ne, Omnis homo inquantum rationalis est risibilis, subie ctum supponit distributiue, & prædicatū confuse: imo etiā, Rationalis, supponit confuse respectu subiecti. Vt patet in secunda exponente. Omnis homo est rationalis. Sed tota difficultas est quantum ad effectum syncathegorematis. In quantum, an distribuat terminum quem modificat, an vero ille supponat determinate vel confuse vel potius suppo- nat simpliciter & immobiliter. Quibusdam videtur distri- bui, quia in illa tertia exponente distribuitur, omne rationa le est risibile. Alijs vero videtur non distribui saltem com- plete quia in secunda exponente non distribuitur, imo ne- que in quarta videtur distribui. Nihilominus sit secunda cō clusio. Ille terminus quem modificat dictio, inquantum, si communis est distribuit saltem virtualiter: Postulat enim prędicatum perse conuenire omni significato illius termi- ni quem modificat. v.g. Omnis homo quia rationalis risibi- lis est. Vbi rationale distribuitur respectu prædicati, Risibi- lis, nisi enim omne rationale esset risibile non esset proposi tio illa perse, imo falsa esset causalis. Igitur ad sui veritatem requirit omne rationale esse risibile. Hæc dicimus de expo- nibilibus primæ & tertiæ formæ. At vero in exponibilibus secūdæ & quartæ formæ sit tertia conclusio. Omnes suppo sitiones terminorū debent se habere cōtradictorio modo re spectu suppositionis terminorū, qui sunt in prima vel in ter tia forma: & ad veritatē exponibilis secūdę & quartę formę

suf-

sufficit vnā exponentē esse verā, quia dsiūctiuè exponūtur. Quarta conclusio. Quamuis terminus modificatus à syncathegoremate, In quātum, supponat distributiue in tertia exponente, & in illa posit resolui per legitimum descensum vel ascensum, tamen in ipsa exponibili atque in quarta exponente supponit simpliciter vsque adeo vt nunquam sit licitus ascensus, vel descensus erga illum terminum coniunctum cum dictione, In quantum, aut cum dictione, Quia. Ratio huius est, quia istæ dictiones & similes habent appellationem quandam rationis, vt paulo post explicaturi sumus: & idcirco tam in ascensu quam in descensu semper variatur appellatio & efficitur mala consequentia. Non enim si ratio causalitatis conuenit communi, necesse est vt conueniat singulari nec vice versa.

Elegans consideratio de reduplicatiuis.

Verum vt melius comprehendas quod implicitum est in enuntiatione quæ modificatur dictione, inquantum, & similibus; aperiam tibi dialecticum mysterium, vnde intelligas, quanta attentione opus sit in disputationibus in quibus admiscetur & interuenit dictio, in quantum, vel similes si accipiantur reduplicatiue & causaliter. Scias igitur primam formam & tertiam reduplicatiuarū includere virtualiter non solum syllogismum, sed etiam requirere ad sui veritatem, vt ille syllogismus sit demonstratio. Ponamus exemplum in prima forma. Hæc exponibilis, omnis homo in quantum rationalis est risibilis continet implicite hunc syllogismum, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Ecce tibi tres exponentes primæ formæ. Nam cōclusio est prima exponens, quæ dicitur præiacens, maior vero & minor sunt secunda & tertia exponentes, Sed adhuc exponibilis nō est contēta syllogismo: sed adhuc requirit ad sui veritatem antecedens esse causam consequentis, ac proinde includit demonstrationem in Barbara aliquando etiam Darij, si subiectum exponibilis non distribuatur, vt si dicas, Aliquod animal in quantum rationale est risibile continet hanc demonstrationem: Omne rationale est risibile, aliquod animal est rationale, ergo aliquod animal est risibile. Proportionabiliter hoc ipsum poteris experiri in tertia figura construēs syllogismum in Celarē, vel in

Ferio ex ipsis exponibilib⁹ tertię figurę. Ex dictis sequitur sufficere ad falsitatem exponibilis primæ & tertiæ formæ vnum defectum in prædictis requisitis ad demonstrationē in illis inclusam. Sequitur secundò exponentes secundæ formæ & quartæ exponibilium esse examinatorias veritatis aut falsitatis exponibilium primæ & tertiæ formæ. Ratio est, quoniam exponibiles secundæ & quartæ formæ exponuntur disiunctiuè & contradictorio modo ad primā & tertiam. Quo fit vt ad falsitatē primæ vel tertiæ sufficiat quod vna propositio secundæ vel quartæ figuræ sit vera ac proinde ex illo particulari defectu erit falsa exponibilis primæ formæ vel tertiæ, siquidem ad veritatem contradictoriæ sufficit vnam partem esse veram: vnde quilibet defectus in prima & tertia forma sufficiet, vt illa sit falsa quia copulatiue exponitur. Quæritur tertio, quomodo vniuersaliter possimus discernere reduplicatiuarum oppositionem? Ad quam quæstionem respondetur, & sit prima conclusio. Seruatis cōditionibus oppositionū, quæ sunt necessariæ in alijs simplicibus cathegoricis, prima forma reduplicatiuarum directe & ex diametro contradicit secūdæ formæ: & quarta forma tertiæ, vt manifestum est in diffinitionibus ipsarum formarum. Secunda conclusio. Prima forma & tertia sunt contrariæ. Tertia conclusio. Secunda forma & quarta sunt subcontrariæ. Quarta conclusio. Prima forma & quarta sunt subalternæ, ita vt prima sit subalternans & quarta subalternata: sicut tertia forma est subalternans ad secundam formā. Omnes hæ conclusiones statim demonstrabuntur præmissa figura proportionabili cum figuris aliarum oppositionum. Fingamus igitur quadratum & in angulis supernis collocētur, A & B, & in infernis C, & D, & tunc in A, fige primā formam & in B, tertiam & in, C, quartam & in, D, secūdā. Nūc ergo demonstratur, A & B. contrariari: quia sunt duæ propositiones participantes in extremis altera affirmatiua & altera negatiua repugnantes in veritate & non in falsitate: ergo sunt contrariæ, quia hæc est lex contrariarum. Probatur antecedens, quia vtraque earum infert contradictoriam alterius & non infertur ex illa, ergo repugnant in veritate & nō in falsitate iuxta communem regulam supra satis explicatā.

Probatur antecedens quia hæc eſt bona conſequentia. Omnis homo in quantum rationalis eſt riſibilis, ergo non omnis homo in quantum rationalis non eſt riſibilis. Quod probatur: quia antecedens exponitur copulatiue & cõſequens disiunctiue. ſed vna pars imo tres partes diſiunctiuæ inferũtur ex alijs tribus partibus copulatiuæ, ergo bona conſequentia Nam ſufficeret quod vna ſola pars copulatiuæ inferret vnam partem diſiunctiuæ. Quoniam ad veritatem copulatiuæ requiritur omnes partes eſſe veras, ad veritatem diſiunctiuæ ſufficit vnam partem eſſe veram. Non igitur poſsibile erit antecedens verum & conſequens falſum. Quod autem ex, C. non ſequatur A. manifeſtius eſt quam probatione indigeat. Quoniam quod non ſequitur ex qualibet parte diſiunctiuæ non ſequitur ex tota: ſed ex nulla parte ſequitur tota illa copulatiua, vt patet propoſitis exponentibus ante oculos, ergo, A, non ſequitur ex, C. Vt autem ad ſenſum videas documenta noſtra ecce tibi duas figuras, alteram quatuor exponibilium, & alteram quæ in eiſdem angulis contineat exponentes.

A	B
Omnis homo inquantum rationalis eſt riſibilis.	Omnis homo inquantum rationalis non eſt riſibilis.

C	D
Non omnis homo in quantum rationalis non eſt riſibilis.	Non omnis homo inquantum rationalis eſt riſibilis.

Omnis

universal afirmativa

A

Omnis homo est risibilis
Et { Omnis homo est rationalis
Omne rationale est risibile
Quia aliquid est rationale est risibile.

universal negativa

B

Nullus homo est risibilis
Et { Omnis homo est rationalis
Nullũ rationale est risibile
Quia aliquid est rationale ideo non est risibile.

particular afirmativa

C

Aliquis homo est risibilis
Vel { Aliquis homo nõ est rationalis
Aliquod rationale est risibile
Non quia aliquid est rationale ideo non est risibile.

particular negativa

D

Aliquis homo non est risibilis
Vel { Aliquis homo non est rationalis
Aliquod rationale nõ est risibile
Non quia aliquid est rationale est risibile.

In hac posteriori figura apparebit quomodo, A, & B, repugnent in veritate quia vtraque est copulatiua, & tres exponentes in, A, sunt euidenter contrariæ respectu aliarum trium in B: cùm sufficeret vnam vni contrariam esse, vt vtra que copulatiua repugnaret alteri in veritate, ergo. A & B, in priori figura sunt contrariæ siquidem exponentes tres repugnant in veritate & non in falsitate. Neque te moueat quod A. & B. cõueniũt in vna exponibili vniuersali affirma tiua, scilicet omnis homo est rationalis, quæ est secunda exponens. Quoniam ista conuenientia nihil prodest ad hoc quod ipsæ copulatiuæ A, & B, conueniant in veritate : nam vtraque requirit veritatem omnium suarum partium, quarũ tres tribus euidenter repugnant in veritate. Iam vero aperte videbis quomodo A. copulatiua inferat, C, disiunctiuã: quoniam tres partes in, C, disiunctiua, inferuntur ex tribus partibus in, A, copulatiua. Et hoc ipsum experieris comparando, B, copulatiuam ad D. disiunctiuam. Denique quod C. & D. opponantur subcontrarie sic demonstratur: Possunt dari veræ & nullo modo falsæ, ergo repugnant in falsitate & nõ in veritate. Probo antecedens, quia ex falsitate disiunctiuæ, C, sequitur veritas alterius disiũctiuæ, D, Probatur quia ex falsitate, C, sequitur veritas in B. quæ est eius contradictoria. Rursus ex veritate B. sequitur veritas D, quæ est eius subalternata, ergo de primo ad vltimum ex falsitate, C,

sequitur veritas, D. Non igitur possunt esse simul falsæ, C, & D. Quod autem possint esse veræ probatur, quia ex C, ad A, non est bona consequentia, vt constat, ergo poterit dari antecedens verum & consequens falsum. Tunc igitur, C, existente vera erit falsa A: ac proinde erit vera D, eius contradictoria ergo de primo ad vltimum C. & D. possunt esse simul veræ. Neque etiam hic te moueat quod C. & D. communicant in secunda propositione; quia hoc non adiuuat ad falsitatem disiunctiuæ: quoniam aliunde sufficienter resistitur falsitati: nam C. & D. vtraque habet tres tribus oppositas subcontrariè euidenter, ac proinde non poterunt esse simul falsæ C, & D, cum vtraque sit disiunctiua, ad cuius veritatem sufficit vnam partem esse veram.

Ex dictis habes vnum corollarium mirabile, quod quanuis ad contradictionem duarum exponibilium sit necessarium, quòd vtriusque singulæ exponentes sint contradictoriæ suo ordine singulæ singulis alterius; tamen vt exponibiles contrarientur non est inconueniens quòd vtriusque secũda exponens sit eadem, sicut etiam non est inconueniens quod in C. D. exponibilibus sit conuenientia in secunda exponente. Sed mirari desines, si memineris solà contradictionem esse perfectam oppositionem: alias vero oppositiones esse deficientes ab illa ac proinde possunt conuenire in aliquo quod Contrarijs non proisit ad veritatis conuenientiã, neque subcontrarijs obsit quominus cõuenire possint in veritate & repugnent in falsitate. Hactenus de Oppositione Reduplicatiuarum dicta sufficiant: nam reliqua ex prę-iactis fundamentis & præfixis figuris ipse tuo discursu assequi poteris.

Caput

Caput quintum De modo discernendi inter bonam & malam argumetationem cum signo reduplicatiuo.



DVPLICITER possumus considerare argumentationes quæ fiunt cum huiusmodi signis, In quantũ, & Quatenus, & similibus. Vno modo vt constituunt exponibiles reduplicatiuas comparabiles ad inuicem vel ad suas exponentes. Et sic est prima regula. Bona consequentia est ab exponibili ad suas exponentes simul sumptas & vice versa. Item secunda regula. Bona est consequentia ab exponibili primæ formæ ad exponibilem quartæ formæ & ab exponibili tertiæ formæ ad exponibilem secundæ formæ. Nam in istis procedit argumentatio à subalternante ad subalternatam. Tertia regula sit. A qualibet exponente exponibilis copulatiuè ad suam subalternatam exponibilem disiunctiuè est bona consequentia: dummodo non sit antecedens illa exponens secunda, in qua conueniunt prima & tertia forma, quæ sunt contrariæ. Nam instaretur facile consequentia in his terminis, & in prima forma, verbi gratia. Omnis homo in quantum rationalis est equus. Tunc enim secunda exponens est. Omnis homo est rationalis & vera est, & tamen tota disiunctiua quæ est in C. erit falsa, vt patet quia omnis pars illius disiunctiuæ falsa est, verbi gratia. Aliquis homo est equus. Aliquis homo non est rationalis. Aliquod rationale est equus. Non quia aliquid est rationale ideo non est equus. Omnes sunt falsæ. Daretur ergo antecedens verum & consequens falsum. Et ratio est quia exponentibus singulis partibus exponibilis copulatiuè præter secundam exponentem respondet in disiunctiua vna subalternata exponens. At secundæ non respondet nisi sua contradictoria vt patet in posteriori figura. Quarta regula pro secunda & quarta forma. A qualibet exponente exponibilis disiunctiuè ad ipsam expo-

nibilem est bona consequentia, quia procedit quasi à parte disiunctiuæ ad totam. Altero modo illæ dictiones considerari possunt, siue sumantur specificatiue siue reduplicatiue, quando veriant terminum vel distinctam rationem significati eiusdem termini in quem exercent suum officiũ.

Quamobrem alia documenta tradere necesse est, vt discernatur inter bonam & malam argumentationem quæ fit variando terminum reduplicatum vel specificatum à syncathegoremate: In quantum, vel similibus. Primum documentum. Quotiescunque variatur terminus cui adiungitur dictio, in quantum & similes siue specificatiue siue reduplicatiue accipiantur; semper fit mala consequentia & poterit instari in se vel in simili forma.

Secundum documentum. Etiam si terminus specificatus vel reduplicatus non varietur: si tamen in re significata inueniat intellectus duplicem rationem inclusam, & in vna propositione specificetur vel reduplicetur terminus, secundum vnam rationem, & in alia propositione secundum alteram rationem; semper erit mala consequentia: & instabitur in se vel in simili forma, quia est variatio appellationis.

Tertium documentum. Vbi videris dictionem, In quantum poni in antecedenti & in consequenti, semper tibi sit cõsequẽtia de instantia suspecta donec examines an sit legitimus syllogismus. Potest enim fieri legitimus, qualis est hic, Petrus in quantum homo est risibilis & Petrus est animal, ergo aliquod animal in quantum homo est risibile. In quo syllogismo accipitur, In quantum reduplicatiue & medium est Petrus & additum medio in maiori est illud complexum, In quantum homo, quod quidem debet apponi minori extremitati in conclusione iuxta syllogisticam legem, vt libro sequenti plenius cognosces. Hoc ipsum dicimus si dictio, In quantum, accipiatur specificatiue vt in hoc syllogismo. Christus in quantum homo est creatura & Christus est Deus, ergo Deus in quantum homo est creatura. In quo syllogismo neque variatur terminus specificatus vel reduplicatus, neque variatur ratio significata per terminum, sicut in primo & secundo documento aduertimus.

Sed

Sed vt apertius cognoscas quam necessaria sint prædicta documenta, ne capiaris sophysticis argumentis proponam tibi exēpla in humanis, deinde in diuinis. Sit primū exēplū in humanis. v.g. Petrus in quātū homo est risibilis, & Petrus in quantum homo est sensibilis, ergo Petrus in quantum sensibilis est risibilis. Hæc argumentatio nō est syllogismus neque seruat legem alicuius loci dialectici. Nam si accipiatur pro medio totum illud Petrus in quantum homo, debet esse conclusio, sensibile est risibile, neque debet intrare conclusionem medium aut pars medij. Deinde si eodem modo accipiatur in maiori & in minori, In quantum homo, altera erit falsa. Nam si in maiori reduplicet differentiam hominis vltimam, vera est maior, sed in hoc sensu minor erit falsa. Erit autem vera si In quantum reduplicet rationem genericam hominis, scilicet, rationem animalis. Quod necesse est distinguere, ne respondens capiatur. Et profecto absolute loquendo dictio, In quantum, semper reduplicat rationem adæquatā termini cōmunis in quem fertur, nisi asserēs aliud velit presupponere, quo ad misso, statim aperietur fallacia argumentationis. Erit enim in illa æquiuocatio vel variatio appellationis. Ecce aliud exemplum. Hoc corpus in quantum album est disgregatiuum visus, & omne album in quantum album est intrinsece coloratum, ergo hoc corpus album in quantum coloratum est disgregatiuum visus. Vides antecedens verum & consequens falsum. Vnde neganda est consequentia neque probabitur habere formam syllogisticam: nam variatur appellatio ex parte dictionis. In quantum, sed solum poterit concludi, ergo aliquod coloratum est disgregatiuum visus. Ecce aliud exemplum. Petrus in quantum cæcus non videt & Petrus in quantū Petrus est aptus videre, quæ præmissæ veræ sunt specificatiue accipiendo, In quantum: & tamen consequens est falsum. Scilicet ergo Petrus in quantum aptus videre non videt, sed solum sequitur, ergo aptus videre non videt. Sit vltimum exemplum methaphysicum. Ens in quantum ens est obiectum intellectus & ens in quantum ens est bonum, ergo omne ens in quantum bonum est obiectum intellectus. Ecce quomodo, etiam si non distinguantur nisi ratione, ens

 & bo-

& bonum, tamen propter differentes conceptus, quos formamus de ente & de bono, non omnia quæ conueniunt enti sub ratione entis cognito, conueniunt ei sub ratione boni cognito. Vnde variatur appellatio in huiusmodi consequentia: & etiam dictio, in quantum, non eodem modo accipitur in vtraque præmissa. Nā in maiori reduplicat vel specificat rationem formalem entis secundum quam formaliter terminat actionem intellectus vt est à potentia intellectiua. At vero in minori reduplicat eandem rationem tanquam radicem bonitatis, quæ est velut passio entis secūdum quam est obiectū voluntatis. Denique ecce aliud exemplum quo sophistæ solent obtundere respondētes. Relatio vt relatio est dicit, ad, rursus, relatio vt relatio est, est ens, ergo vt sic dicit, In, siue reale siue rationis. Vnde inferunt quod relatio vt sic non dicit magis, Ad, quam, In. Ad quod tamen sophisma similiter respondetur variari appellationem dictionis, vt sic. Nā si specificet vel reduplicet id quod cōmune est relationi cum omni ente falsum est asserere quod vt sic dicit, Ad. Si autem specificet vel reduplicet rationem per quam relatio diuersificatur ab alijs entibus vel accidentibus, tunc vera est, relatio vt relatio non dicit formaliter nisi Ad, sed tamen non excludit rationem entis vel accidentis, quin potius præsupponit id quo à nihilo distinguitur. Quamobrem ipsummet, Ad, relationis realis, est reale: & ipsum, Ad, relationis rationis, est ens rationis sicut & eius, In, est ens rationis, sicut vniuersalitas & specieitas & relatio dominij vt in Deo: quæ tamen non est realiter in Deo. Sed de hac re abundantius diximus 1. parte quæst. 28.

Iam vero in gratiam Theologorum Theologica exempla proferamus. In primis in materia de incarnationis mysterio, hæc consequentia: Christus in quantum homo incipit esse, & Christus in quantum homo est Deus ergo in quantum Deus incipit esse. Hæc argumentatio dupliciter dissoluitur. Primo negando minorem, si dictio, In quantum specificet eandem rationem hominis in minori sicut in maiori. Si autem reduplicet rationem suppositi in minori in quo sensu conceditur à D. Thoma, iam erit æquiuocatio dictionis in ipso medio, ac proinde præmissæ sunt inhabiles. Si autem

tem aliter formes syllogismum. Christus in quantum homo incipit esse, & Christus est Deus, optime & syllogisticè concluditur, ergo Deus in quantum homo incipit esse. Præsupponimus enim dictionem, In quantùm, specificatiuè non reduplicatiue in antecedenti & in consequenti accipi. Item est aliud exemplum. Christus in quantum homo meretur, & Christus in quantum Christus, est Deus, ergo in quantũ Deus meretur, nihil valet consequentia. Variatur enim ratio specificata, sicut in hac: Christus non satisfecit de condigno in quantum homo neque in quantum Deus, sed Christus est Deus & homo, ergo non satisfecit de condigno in quantum Deus homo: neganda est consequentia. Variatur enim ratio specificata. Nam in antecedenti specificãtur sigillatim & seorsum duæ rationes in cõsequenti vero collectim ambæ simul. Quibus simul sumptis aliquid potest conuenire quod non singulis: eo vel maxime quia satisfacere aut mereri de condigno duas rationes implicat, alteram satisfacere aut mereri, alteram æqualitatem secundum iustitiam. Illa quidem prior homini tribuitur in quantum homo est (accipiatur enim, In quantum, specificatiuè) posterior vero prouenit ex coniunctione diuini suppositi ad humanitatem, ac proinde actio illa neque tantum Deo neque tantum homini attribuenda est, sed Deo homini. Quocirca dicitur à Theologis actio Theandrica, idest, Dei virilis. Denique in hac materia incarnationis in gratiam Theologorum proponam duas propositiones, quæ indigent distinctione. Christus in quantum homo resurrexit, Christus in quantũ Deus resurrexit, In quibus dictio, in quantum, specificatiuè accipiatur: & nihilominus vtraque merito distinguenda est propter grauitatem mysterij resurrectionis. Ait enim Apostolus; Mortuus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Quã obrẽ prior propositio distinguenda est. Si enim In quãtum specificet & determinet subiectum resurrectionis & reparationis vitæ gloriosæ, vera est & catholica enuntiatio. Si autem specificaret vim effectiuam resurrectionis falsa est propositio. Nam secundum quod homo non habet virtutem causalitatis in ipsa hnmanitate nisi forte instrumentalem in anima vt reuniretur corpori. Altera vero enuntia-

tio, Christus in quantum Deus resurrexit falsa esset: si, In quantum, specificet & determinet rationem subiecti resurrectionis. Si tamen designet virtutem resurgendi esse in Christo, In quantum Deus est, verissima est assertio & catholica. Nam Christus propria virtute resurrexit, quæ quidem virtus sibi competit in quantum Deus est, & nota has propositiones absolute esse concedendas: Filius Dei mortuus est: filius Dei resurrexit. Nam actiones & passiones simpliciter attribuuntur supposito licet conueniant ei ratione differentium naturarum. Sed est obiectio contra prædicta. Nam Christus in quantum Deus communem habet virtutem cum Patre & Spiritu sancto, ergo qua ratione est vera; Christus in quantum Deus resurrexit; erit etiam vera Pater in quantum Deus resurrexit. Respondetur nego consequentiam. Sicut ista non valet: Filius Dei propria virtute assumpsit humanitatem, & est eadem virtus Patris ergo. Pater assumpsit humanitatem. Et ratio est quia assumere non solum dicit actionem sed etiam terminare naturam assumptam. Sic etiam propria virtute resurgere ad vitam gloriosam humanitatis non solum dicit actionem, sed etiam immanentiam effectus in eo qui resurgit secundum naturam assumptam: ac propterea nulla est consequentia. Est exemplum in naturalibus: nam arbor propria virtute floret & sol etiam propria virtute concurrit ad floritionem illam efficiendam, & tamen sol non floret sed sola arbor floret. Et ratio est quia florere non solum importat virtutem actiuam emittendi flores, sed etiam connotat immanentiam effectus in arbore. Sic etiam propria virtute resurgere, non solum dicit actiuam virtutem, sed etiam ipsius effectus immanentiam in aliqua natura ipsius agentis. Et sic filius Dei propria virtute resurrexit. Ex quo sequitur vtramque enuntiationem prædictam verum & catholicum sensum posse habere. Aduerte tamen verbum, Resurgere non semper importare actiuam virtutem resurgentis: omnes enim nos resurgemus, non propria virtute etiam animæ gloriosæ: quia vnio animæ ad corpus, postquam facta est separatio, supra totam naturam est: & solus Deus est causa principalis. Ita vt etiam Christus in quantum homo non

prin-

principalis causa efficiens, sed instrumentalis sit vt docet S.Thomas 3.parte quæst. 2. Tandem accipe tria exempla in diuinis, vt scias distinguere modificationem syncathegorematis, In quantum. Primum exemplum sit in locutionibus diuinitatis, cum enim Deus sit actus simplicissimus, tamen eius perfectio multis conceptibus à nobis cognoscitur & plura de Deo attributa prædicamus. Est enim sapiens iustus & misericors, & eius misericordia est eius iustitia. Nihilominus non est idem dicere: Deus in quantum misericors delet peccata, & in quantum iustus. Similiter non est idem dicere, Deus in quantum iustus punit existentes in Inferno, & dicere Deus in quantum misericors punit existentes in Inferno. Nam hæc falsa est enuntiatio, & illa prior vera est. Ratio est. Quia quamuis diuina iustitia intrinsece & essentialiter sit diuina misericordia, tamen quia nos distinctis conceptibus cognoscimus misericordiam & iustitiam per ordinem ad differentes effectus; idcirco hæc enuntiatio falsa est: Deus in quantum misericors punit existentes in Inferno, quia sit sensus, quod quatenus concipimus misericordiam comparamus illam perfectionem ad punitionem, quod est falsum; cognoscimus enim misericordiam comparantes illam perfectionem ad leuamen miseriæ, & non ad vindictam. Et per hanc doctrinam poteris discernere veritatem vel falsitatem in diuinis locutionibus. Secundum exemplum sit in mysterio Trinitatis, in quo proculdubio à nobis intelligitur persona generans constituta antequam intelligamus actionem generandi: relatio vero paternitatis. Non præintelligitur, vt relatio est ante generationem, ex quo videbatur sequi quod Pater non constituitur vt persona patris relatione quæ est Paternitas. Sed negatur consequentia & merito à Theologis. Siquis autem sic arguat in oppositum; Persona generans in quantum generans præintelligitur perfecte constituta ante generationē, (hoc est antequā intelligatur à nobis generatio) sed vt sic in quantū constituta in esse personali nō intelligitur tūc cōstitui relatione, ergo nō cōstituitur relatione. Huic argumēto respondeo nego cōsequentiā. Procedit enim à secundùm quid ad simpli-

pliciter. Nam, quòd non præintelligatur à nobis constitui relatione, non est simpliciter non constitui relatione, sed valde secundum quid. Vnde bene sequeretur, ergo non præintelligitur persona generantis constituta per relationē vt relatio est. Sed contra. Persona illa præintelligitur perfecte constituta, sed non constituitur perfectè nisi relatione, ergo bona erat illa consequentia. Respōdetur distinguo maiorem, nam si, perfectè, sit determinatio illius verbi, præintelligitur, falsa est. Si autem determinet participium illud, constituta, adhuc distinguo, de perfectè constituta, nam si perfecte constituta intelligatur, quantùm satis est ad intelligentiam actionis generandi, sic vera est. Si autem sit sensus, quod nos cognoscimus perfectionem illius constitutionis personæ Patris falsa est maior. Scio modum respondendi Caietani de relatione concepta vel relatione exercita. Sed tamen simul scio, paucos hanc distinctionem comprehendere, & plurimos verbo tenus argumenta dissoluere. Ego vero sic Caietanum explico, vt per relationem conceptum intelligat relationem implicitam & occultatam in persona concepta à nobis. At per relationem exercitam intelligit, relationem expresse cogitatam & comparatam à nobis ad filiationem, quæ est correlatiuum Paternitatis & hæc comparatio non est necessaria, vt nos intelligamus personam generantem. Tertium exemplum in eodem mysterio Trinitatis accipe circa processionem Spiritus sancti: de quo fides catholica docet à Patre & Filio procedere per actionem voluntatis vt amorem productum & non vt filium. Quam veritatem catholicā explicant theologi asserentes Spiritum sanctum ex vi & modo proprio suæ processionis non procedere vt similem principio à quo procedit, propterea quod non procedit per actionem intellectus, cui proprium est vt quod per illam procedit, procedat vt simile & vt imago. Sed ecce argumentum importunum contra hanc veritatem. Spiritus sanctus procedit vt Deus (accipimus particulam, vt, specificatiue) rursus Spiritus sanctus vt Deus, est similis Patri & Filio, ergo procedit vt similis. Respondetur nego consequentiam, quia variatur appellatio, nam variatur terminus specificatus à

dictio-

dictione,vt,sed dumtaxat sequitur : ergo procedit similis. Sed contra. Quidquid procedit aut procedit vt simile aut procedit vt non simile,sed per te non procedit vt similis,ergo procedit vt non similis,ac proinde nō erit similis. Respōdetur esse merum sophisma,quia maior est falsa sub apparentia primi principij, Quodlibet est vel non est. Quāuis enim absolute sit necessarium de quolibet affirmare vel negare,tamen non necesse est sub quadam ratione præsupposita, de quolibet affirmare vel negare.v.g,si dicas,Petrus in quantū albus aut est doctus vel non est doctus, aut est non doctus. Falsa est enuntiatio: quia neque albedo est ratio doctrinæ neque non doctrinæ. Sed solum sequitur quod Petrus non in quantum albus est doctus , neque in quantum albus est non doctus.

Hactenus de Reduplicatiuis.

Caput sextum De expositione verborum, Differt, & Incipit, & Desinit.



QVARTVM signum quod à Dialecticis vulgò exponibile dicitur,est verbum, Differt. Huius duæ tantùm formæ enuntiationum constituuntur. Altera est affirmatiua, vt omnis homo differt ab equo. Altera negatiua,vt, Non omnis homo differt ab equo. Prior forma copulatiuè exponitur per tres cathegoricas, duas quidem affirmatiuas denotantes coexistentiam extremorum, & tertiam negatiuā in qua alterum extremum de altero negatur.v.g.substantia differt ab Accidente,sic exponitur,substantia est & accidens est,& substantia non est accidens.Secunda vero forma disiunctiuè & contradictorio modo exponitur. Circa hoc verbum duo breuiter quæ ad dialecticam considerationem attinent, notāda sunt. Alterum est negationem inclusam in verbo, Differt, distribuere terminum differentiæ post se positum. Hæc aduertentia prodest ne capiaris fall. cia argumentationis ab inferiori ad superius cum distributione superioris. v.g. equus

differt

differt ab homine, ergo differt ab animali: est mala con quentia. Alterum est notandum terminos collocatos an verbum Differt supponere quantum ad quantitatem sicut supponerent in alijs cathegoricis non exponibilibus. v.g. Omnis homo ab aliquo homine differt. In hac rect⁹ supponit distributiue, & obliquus confuse: vnde illa propositio vera est. etiam si tantum duo homines existant. Hæc autem esset falsa, ab aliquo homine omnis homo differt, inqua obliquus supponit determinate cuius omnes singulares sunt falsæ. v.g. Ab isto homine omnis homo differt. Vel ab isto homine &c. Reliqua vero communi modo concipiendi sapientum remittenda sunt.

De alijs vero duobus verbis, videlicet incipit, &, disinit, aliquid etiam, tum in gratiam dialecticorum, tum etiam ad vtilitatem physicorum dicere, necesse est. Nouitijs quidem minoris Dialecticæ discipulis duo tantum documenta proponimus. Prius est qualis sit expositio debita his duobus verbis attendendo ad propriam illorum significationem. Posterius erit, ostendere illis viam soluēdi sophismata, quæ ex mala intelligentia significationis horum verborum fieri possunt, Quantum ad prius documentum, sciendum est duas tantum esse formas enuntiationum de incipit vel Desinit. Altera est affirmatiua v.g. A. incipit esse. A. desinit esse. Altera est negatiua, A non incipit esse. A. non desinit esse. Prior forma affirmatiuarum, si attendamus ad propriam significationem verbi, debet exponi per vnam disiunctiuam composita ex duabus copulatiuis: sed differenter ex parte verbi incipit & ex parte verbi, Desinit, Nam propositio quæ constat ex verbo incipit, habet has exponentes. v. g. A. incipit esse, sic exponitur. A, nunc est & non immediate ante hoc fuit: vel nunc non est, & immediate post hoc erit. Vtimur autem littera A, vt comprehendamus omnem modum incipiendi rerum siue permanentium siue successiuarum. Nam sicut diximus significatio horum verborum eadem est, siue dicas, Homo incipit esse siue dicas. Motus incipit esse. Proportionabiliter dicendum est de exponentibus verbi, Desinit, secundum formam affirmatiuam. v.g. A. desinit esse, sic exponitur. A, nunc est & non immediate post hoc erit: vel-

nunc

nunc non est & immediate ante hoc fuit. Aduertendum vero est, quod licet significatio horum verborum sit eadem; tamen si pro subiecto ponas rem permanentē verificatur illa disiunctiua in verbo incipit, pro priore parte. v.g. Petrus incipit esse quia nunc est & non immediate ante hoc fuit. sed in rebus successiuis verificatur illa disiunctiua pro secunda parte. v.g. hic motus incipit esse, quia nunc non est & immediate post hoc erit. Cæterum quantum ad exponentes verbi, Desinit, quædam res permanentes conueniunt in modo desinendi cum successiuis. Petrus enim desinit esse sicut motus videlicet nunc non est & immediate ante hoc fuit, & eodem modo disinit motus. Ratio autem quare substantiæ corruptibiles desinant sicut motus, ea est. Quia substantia quæ generatur debet incipere per primum instans determinatum. Vnde si daretur vltimum instās in quo fuit substantia corrupta, sequeretur vel quod in medio tempore materia esset sine forma, vel quod si esset vnicum instans intrinsecū respectu vltimi esse substantiæ corruptæ & respectu primi esse substantiæ genitæ darentur duæ formæ substantiales simul in eadem materia. Hoc autem alterius considerationis est quàm Dialectici. Sed quærit merito nouitius Dialecticus; Quid est quod dicimus. Immediate post hoc & non immediate post hoc; vel immediate ante hoc vel non immediate ante hoc. Respondeo iuxta communem modum dicendi Dialecticorum, quòd pronomen, hoc, accipitur pro instanti temporis præsentis & momento indiuisibili quo coniunguntur & præteritum tempus & futurum. Cum autem dicimus immediate post hoc, sic explicatur, Ante quodlibet instās futurū post hoc. Et cum dicimus, immediate ante hoc, intelligimus post quodlibet instās signabile ante hoc, verbi gratia. Cū Petrus incipit esse dicimus; Nunc est Petrus & non immediate ante hoc fuit, intelligimus non fuisse in aliquo instāti aut parte tēporis ante hoc instās. Respōdetur secūdo & melius, quod immediate post hoc, idē est ac si diceres sine aliquo medio tempore inter hoc instans & esse rei, v.g. motus qui incipit esse per vltimū nō esse, qui nūc non est & immediate post hoc erit, hoc est, sine medio aliquo

quo tempore inter hoc inſtans & eſſe rei futuræ quæ incipit eſſe. Non enim eſt ſignabilis neque reuera eſt minima & prima pars temporis futuri vel præteriti. Supponat enim dialecticus:neque dari duo inſtantia ſine medio tēpore,neque primam partem temporis futuri, neque poſtremā præteriti.Ex dictis ſequitur,quod quanuis cœlum & tēpus ſimul cœperint,tamen differenter verificabitur vtrunque in cepiſſe. Cœlum enim incepit totum ſimul ita vt verificaretur.Nunc eſt & non immediate ante hoc fuit.Tempus autē cœpit ſicut motus,ita vt tunc diceretur incipere quando verificabatur, Nunc non eſt tempus & immediate poſt hoc erit,Et ſi vis vt clarius dicam,cœlum ſimul cœpit eſſe & cœpit moueri:ſed differenter verificatur, quod cœpit eſſe,& quod cœpit moueri, cœpit enim eſſe per primum ſui eſſe intrinſecum & determinatum quatenus ex nihilo factum eſt: cœpit vero moueri quia cum primum creatum eſt,non mouebatur,ſed immediate poſt illud mouebatur. Neque dabis primam partem temporis ſicut neque primam partem motus qui tempore menſuratur. Iam facile erit ex dictis alterā formam negatiuarum propoſitionum de Incipit & Definit exponere.Fit namque expoſitio per copulatiuam compoſitam ex duabus diſiunctiuis videlicet contradictorio modo quantum eſt ex parte ſignificationis verborum Incipit & Deſinit.Etenim ex parte ſubiecti ſeruanda eſt quātitas quā habet ſecundum diſtributionem aut particularitatem.Prior itaque diſiunctiua deſeruit pro rebus permanentibus,ſecunda pro ſucceſſiuis quādo exponibilis erit de verbo, Incipit. Sed tamē cum fuerit de verbo,Definit iam diximus aliquas res permanentes corruptibiles deſinere eodem modo ſicut motus.Sunt autem aliæ res quæ ſicut incipiunt eſſe in vno inſtanti,ita ſi deſinerent eſſe, deſinerent in vltimo inſtanti ſui eſſe: vt ſi Angelus annihilaretur verum eſſet, Nunc eſt angelus & non immediate poſt hoc erit,& modo de facto inſtans temporis ſimul incipit & deſinit. Sicut hoc inſtans nunc eſt & non immediate ante hoc fuit,ergo incipit eſſe.Similiter nunc eſt,& non immediate poſt hoc erit,ergo deſinit eſſe.

Alterum documentum vtile erit ad diſſoluenda ſophiſmata.

ta.

ta. Aduertendum est in primis oppositiones in huiusmodi enuntiationibus fieri sicut in alijs iuxta regulas communes, maximè quantum ad terminos præcedentes ipsa verba, incipit & desinit. v.g. istæ sunt contradictoriæ, omnis homo incipit esse, aliquis homo non incipit esse. Sed obserua non esse immediate exponendas, sed prius subiectum debet singularizari per ascensum, vt apertius pateat veritas vel falsitas illarum. Aduertes etiam ampliationes horum verborum. Nã Incipit ampliat ad id quod est vel immediate post hoc erit. Et Desinit ampliat ad id quod est, vel immediate ante hoc fuit. Sed hæc omnia vt sepe dixi ex cõmuni modo loquendi regulanda sunt.

Aduerte præterea appellationem quam habent hæc verba, Incipit & desinit, supra formale significatum termini nõ ante se positi sed post se. v.g. cum dicis, Petrus incipit esse albus inceptio applicatur ad significatum formale termini, Album. Non enim significat quod Petrus incipit esse corpus sed quod incipit habere albedinem. Vnde hæc est mala consequentia, Petrus incipit esse hoc albũ, ergo incipit esse hoc: quia variatur appellatio. Et idem continget cum verbo Desinit. v.g. Petrus desinit esse album ergo desinit esse coloratum. Denique aduerte hæc verba negationem includere in altera exponente, quæ virtualiter distribuit terminum communem non alias distributũ, & distributum particularizat. Ex quo sequitur primò, consequentiam ab inferiori ad suum superius cum hoc verbo, Incipit, non valere quia superius distribuitur. v.g. lignum incipit esse albũ ergo incipit esse coloratum. Similiter & hæc non valet. Filius Dei incipit esse homo ergo incipit esse substantia. Et multo minus sequitur ergo incipit esse ens. Cuius rationem statim videbis, si ad exponentes recurreris. Sequitur etiam hanc esse malam consequentiam, incipit omnis homo esse albus ergo omnis homo incipit esse albus. Et defectus est à non distributo ad distributum ex parte termini, homo, in exponente negatiua, scilicet. Nunc non omnis homo est albus: & in consequenti exponens negatiua est, hæc Nunc omnis homo non est albus. Et instatur illa consequentia, in casu in quo modo sint aliqui homines nigri, qui immediate post hoc sint futuri albi, Alij

 vero

vero sint albi & fuerint albi. Antecedens est verum, Incipit omnis homo esse albus, vt patet per exponentes. Consequens autem est falsum, omnis homo incipit esse albus, quia debet resolui per descensum copulatiuum immediate, cuius multæ singulares sunt falsæ, ostensis hominibus qui sunt & fuerunt albi. Si omnia prædicta aduerteris facile dissolues sophismata quæ ex mala intelligentia significationis & acceptionis horum verborum fieri possunt.

Caput septimum De expositione trium dictionum, Infinitum, Æternum, Totum.



DE comparatiuorum & superlatiuorum significatione & vsu grammaticalis consideratio est & idcirco à nobis prætermittitur. Sed de prædictis tribus dictionibus consideratio ad Dialecticum magis pertinet propter vitandam æquiuocationis fallaciam, tum in Philosophia, tum in sacra Theologia. In primis de infinito dicamus distinguentes æquiuocam eius significationem. Quāuis enim nominis etymologia vna sit, tamen ad diuersa diuersis conceptibus significanda ex vsu sapientū nomen, Infinitum, impositū est. Moderni dialectici duplicem diuisionem faciunt de hoc nomine, Infinitum. Prior est, nam aliquando accipitur pure negatiue pro eo quod non terminatur neque aptum est terminari, & sic Deus est infinitus, aliquando accipitur priuatiuè pro eo quod aptum est terminari & non terminatur, verbi gratia si daretur aliqua res quanta non terminata, quod impossibile esse aiunt physici cum Aristotele 3. physi. Altera diuisio est nam aliquando, Infinitum, accipitur cathegorematice, aliquando syncathegorematice. Cathegorematice quidem, quatenus potest esse prædicatum vel subiectum cathegoricæ enuntiationis. Syncathegorematicè vero dicitur accipi, quando exponibiliter accipitur prout explicatur non tantum quin maius, vel non tot quin

quin plura, vel non toties quin pluries, verbi gratia cum dicimus. Continuum est diuisibile in infinitum, idest non in tot partes quin in plures, & numerus crescit in infinitum. Dicitur itaque syncathegorematice accipi quia re vera aduerbialiter accipitur quando sic exponitur, vt dictum est. Ex quo sequitur falsam esse quorumdam loquutionem, qui aiunt infinitam esse lineam giratiuam, & nullam lineam giratiuam esse infinitam, putantes dictionem infinitam esse adiectiuum nominatiui linea: sed profecto in sensu quem illi intendunt potius accipitur quasi aduerbialiter, ac si diceremus infinite procedit linea giratiua quæ incipit à centro v.g pedis columnæ girando per circuitum per partes proportionales sursum: versum: quæ quidem nunquam dabitur terminata. Sed quod aiunt nullam lineam giratiuam esse infinitam intelligunt de linea giratiua signata inter duo puncta. Sed missa hæc faciamus, quæ puerilia sunt. Vnum tamen pro theologis hoc in loco aduerterim, quod cum infinitum dicitur accipi negatiue, non sic accipiendum est vt forma liter puram negationem & solam negationem significet: sicut non homo puram negationem significat: ita & infinitum idem sit quod non finitum. Quo pacto non esset nomen, neque vllam perfectionem denotaret, vt supra libro. 1. dictum est de nomine infinito. At vero, infinitum, quatenus est Dei attributum maximam perfectionem denotat vt D. Tho. docet. 1. p. q. 7. ar. 1. ergo non sic pure negatiue de Deo dicitur. Dicendum est igitur, quod infinitum eatenus negatiue dicitur accipi, quatenus non præsupponit aptitudinem in particulari in eo de quo dicitur, vt finiri possit: sed importat aptitudinem vt terminetur secundum communem rationem & analogam entis. Quapropter quod aliquid sit ens & non limitetur, est maxima perfectio. Quemadmodū substantia diuiditur incorpoream & in incorpoream & illa differentia incorporea negationem quidem dicit, sed non excludit aptitudinem quæ est in genere substantiæ ad differentiam corporeitatis. Vnde esse substantiam & non esse corpoream maior perfectio est, quam esse corpoream: quia supposito quod sit substantia magna perfectio est habere negationem corporeitatis quæ habet

 ratio-

rationem materiæ. Et hoc pacto in Deo per attributa negatiua maior perfectio significatur, verbi gratia quod sit ens immutabile, quod sit impeccabilis immensus & infinitus & & purus actus: vbi includitur negatio potētialitatis, Sed hoc altioris negotij est.

Præterea etiam Dialectici se intromittunt ad explicationem nominis, æternum, quod potius Philosophi aut Theologi munus est. De qua re D. Thom. 1. part. quæst. 10. agit. Sed quia æternum aduerbialiter aliquādo accipitur vel qua si aduerbialiter pro eo quod est semper, placuit Dialecticis aliquam illius expositionem tradere: ita vt id æternum esse dicatur, quod ante quodlibet instans præteritum fuit vel post quodlibet futurum vel imaginarium, erit. Vtroque modo Aristoteles vehementer errans opinatus est mundum cum suo motu & tempore æternum fuisse & fore. Et quod peius est putauit se hoc demonstrasse ex immutabilitate primæ causæ. Sed oppositum Christiani tenemur confiteri, Initio temporis Deum vtramque de nihilo creaturam condidisse visibilem & inuisibilem. Ac proinde nihil præter Deum æternum est à parte ante: Sed à parte post multa æternùm duratura sunt, nō tamen motus & tempus. Sed de hoc alias. Denique vltima dictio exponibilis est. Totum, quod etiam cathegorematice & syncathegorematice potest accipi. Cathegorematice proprie loquēdo est omne quātū suis partibus cōstitutū, siue sit totū cōtinuū siue discretū vt numerus. Hoc modo significatur omne totū esse maius sua parte. Et in hoc sensu dicūt dialectici hāc enuntiationē esse verā. Totū quod est in mundo cōprehenditur in bursa mea, hoc est, aliquod totū quod est in mūdo, scilicet argenteus, includitur in bursa mea. Altero modo accipitur syncathegorematice & æquiualet huic aduerbio Totaliter, & est signū distributiuū partiū. Vt cū dicimus, totus Petrus est albus, hoc est, secūdū omnē suā partē est albus. Sed si dicas totus Petrus est simus vel cripsius falsa est propositio, si totus accipiatur syncathegorematice: erit autē vera si totus cathegorematice accipiatur. Nā hoc modo Petrus simpliciter est aliquod totū quod denominatur crispum: quia crispitudinē habet vbi aptus est habere. Hactenus de exponibilibus plus satis dictum est.

LIBER QVINTVS DE SYLLOGISMIS.

Prologus Autoris.



IAM ad optatum finem, qui minoris dialecticæ ſcopus eſt, Deo dante, peruenimus. In quo tractatu ducem habemus Ariſtotelem in duobus libris, quibus titulum inſcripſit, de priori reſolutione. Is in hac parte ſe primum artis ſyllogizandi autorem fuiſſe gloriatur in libro 2. elencho c. vltimo. Quamobrem cum primus ipſe huius conſiderationis inuentor fuerit, modeſtè veniam petit, ſiquid minus conſummatum dederit: & gratias ſibi agi poſtulat, quia proprio labore ac ſudore artem multipliciter ſyllogizandi meditatus fuerit. Mihi ſanè aliqua venia dignus videtur; quia prolixius & obſcurius, quàm oporteret in huius materiæ documentis tradendis proceſsit. Nam prima inueſtigatione aliquid inuenire & ſimul exactè docere, difficillimum eſt, Inuentis autem ſuper addere, eaque perpolire, facillimum eſt. Nos verò Philoſophi ingenium tum in alijs, tum in hac ſyllogizandi ſcientia admirantes, non poſſumus non fateri obſcure nimis & perplexè locutum fuiſſe: ſic adeò, vt niſi diligentiſsimorum virorum ingenia in eius intelligẽtia plurimùm laboraſſent; parum vtilitatis ſtudioſis Dialecticæ adoleſcentibus duo libri priorum reſolutionum contuliſſent. Huius rei gratia & nos maiorum documenta non mediocri meditatione obſeruantes; breuiori & clariori ſtylo Ariſtotelis doctrinam docere para-

paramus:ita vt nihil necessarium prætermittentes à superfluis & fastidiosis abstineamus.

Caput primum.



VM in omni demõstratione, quæ ad sciẽtiæ acquisitionem necessaria est, duo postulẽtur: nimirum prius consequentiæ bonitas, & posterius antecedentis forma & necessaria veritas; idcirco Aristoteles de priori resolutione libro duos, & de posteriori totidem conscripsit. Nunc vero in præsenti tractatu de priore resolutione nobis agendum est. Porrò vt ab Aristotelis disciplina firmum & legitimum fundamentum iacientes incipiamus; operæprecium est, primum caput libri primi Priorum, nõ quidem de verbo ad verbum transcribere: sed quasi paraphrastice interpretari. In illo etenim quasi in summa tota syllogismorum cõsideratio, & huius operis argumentum continetur. Sic igitur Aristoteles exorditur.


Primum dicendum nobis est, circa quid nostra intentio potissime versetur: & de quo maxime desserere intẽdamus. Est enim nostræ intentionis finis potissimus circa demõstrationem & de scientia demonstratiua documenta tradere. (Aduerte hic Aristotelem insinuare tractatum de priore resolutione ad alterũ de posteriore tanquã ad finẽ destinari.) Cuius rei gratia in primis determinãdũ est, quid sit propositio: & quid terminus & quid syllogismus, quisnã perfectus, & quis imperfectus sit, Ac deinceps quid sit, Aliquid esse in alio toto vel nõ esse; & qui de omni vel de nullo aliquid prædicari. (Quinq; sunt quæ Philosophus definiẽda promittit) in primis propositio est alicuius de aliquo affirmatiua vel negatiua oratio. Ea vero aut vniuersalis, aut particularis, aut indefinita est. (Aduerte eatenus propositionem hic definitam fuisse ab Aristotele, quatenus ad ministeriũ syllogizãdi secundum qualitatem & quantitatem conducit.) Dico autẽ vniuersalem quidem, cum aliquid in propositione, omni in subiecto contento conuenire aut omnino negari, particularem verò, cum alicui, aut alicui non, vel non omni, conuenire significatur. Indefinitam autem, cum subiectum absque

que aliquo signo distribuente vel particularizāte ponitur, vt homo disputat, vel homo nō disputat. Differt autem propositio demōstratiua à dialectica propositione, in eo quod demonstratiua determinate est sumptio alterius partis contradictionis. Neque qui demonstrare intendit, interrogat an hoc ita sit vel non sit: sed confidenter sumit propositionem illam ex qua aliquid demonstrare parat, dialectica vero propositio interrogatio contradictionis est: qui enim illa vtitur, responsionem alterius expectat, vt ex eius concessione ad syllogisticam consequentiam progrediatur. In qua consequentia conueniunt tam is qui demonstrare intendit, quam qui dialecticam propositionem præsumit. Ad syllogismum porro gignendum, ni hil hæc ab illa differt. Perinde enim vt demostrator, ita Dialecticus colligit aliquid de aliquo vel esse vel non esse sumendo. Quam abrem syllogistica propositio, sim pliciter loquendo, est affirmatio vel negatio alicuius de aliquo. Sed insuper demonstratiua debet esse vera & per primas propositiones firmata. De quibus in sequentibus accuratius dicendum erit. (Hactenus Aristoteles de primo idest depropositione dixit: de secūdo vero sic ait) terminum autem voco ex quo propositio constat tanquam extremo, & in quod resoluitur, sicut in subiectum & prædicatū, siue illud affirmetur siue negetur(. Ecce tertiū.) Syllogismus est oratio in qua quibusdam (hoc est ꝓpositionibus) positis, alia propositio ab illis necessario consequitur; sic vt ex eisdem terminis, qui erant in præmissis propositionibus constet: neque alius extraneus accedat conclusioni (. & hoc videtur Aristoteles insinuasse in illis verbis; eo quod hæc sunt). Perfectum vero syllogismum eum voco qui nullius alterius syllogismi indiget, vt ipse necessarius appareat; sed sufficiunt illi præmissæ propositiones tam apte dispositæ, vt immediate regulari possint per vnum ex duobus principijs; Dici de omni, vel, Dici de nullo. Imperfectum vero syllogismum voco eum qui indiget alterius vnius syllogismi, qui ex ipsis terminis necessariam consequentiam contineat. (Ecce quartum quod promiserat deffinire. Ad quintum vero ita procedit.) Principia regulatiua perfectorum syllogismorum duo sunt, vnum pro affirmatiuis

quod appellatur, Dici de omni, vel in toto altero alterum inesse. Secundum est pro negatiuis, quod vocatur, dici de nullo; vel de nullo alterum prædicari. (Quæ principia ita clarius à modernis diffiniũtur, Dici de omni est, cũ nihil est subsumere sub subiecto distributo de quo non dicatur prædicatum. Vt si dicas, omnis homo est albus, necesse est consequenter vt de quouis dicatur homo prædicatur & album. Vt v.g. si sub illa vniuersali subsumeres; omnis musicus est homo; statim necessario sequitur, ergo omnis musicus est albus. Proportionabiliter dici de nullo est aliud principiũ naturali lumine cognitum, quodquidẽ sic explicatur: Quotiescunque prædicatum negatur de subiecto distributo tunc necesse est, vt de quouis affirmetur subiectum, de eodem idem prædicatum negari. Vt si dicas, Nullus homo est albus, omnis artifex est homo, ergo omnis artifex non est albus.

Ecce paraphrasim primi capitis libri primi Priorũ Aristotelis, in qua vix potui me continere, quin in fine Modernorũ Dialecticorum dictione claritatis gratia vterer. Porro si reliqua quæ in eis libris Aristoteles docuit, cõsimiliter interpretari nitiremur; longũ opus nobis conficiendũ esset & frustra tantum laboris susciperemus, ex quo minima aut certe nulla vtilitas discipulis accederet. Quamobrem deinceps vsitatum loquendi modum in schola Modernorum Dialecticorum libenter sequemur; nec tamen à Philosophi documentis discedemus.

Caput secundum. De conuersione absolutarum propositionum.



RACTATVM de absolutarum propositionũ conuersione in hunc vsque locum distuli, tum quia ipse Philosophus hic oportune hac de re agendũ censuit, tum etiã quia huius rei cognitio hactenus necessaria non fuit. Nunc vero ad reductionẽ imperfectorũ syllogismorũ ad perfectos per necessaria est. Duo igitur sunt breuiter à nobis dicenda, quid sit in proposito conuersio: & quotuplex sit. Sed

in primis nota nomen, Conuersio, variè à Dialecticis vsurpa ri. Aliquando accipitur pro æquipollentia enuntiationum, quæ mutuo se inferũt. Vt homo est rationalis, homo est risi bilis. Inter quas propositiones est mutua cõsequẽtia ex vtra que in alterã. Aliquando etiã & ipsi termini dicuntur ad con uertentiã vt flebile & risibile & rationale. Nũc autẽ multo aliter de cõuersione agimus. Huius diffinitionẽ, Petrus Hispanus inter modernos Dialecticos suspiciẽdus, nõ diffiniuit sed statim diuisit. Ob id fortassis quia vix vnica cõmunis dif finitio designari poterat singulis partibus conuersionis quas ille distinxit. Nihilominus ab alijs recẽtioribus hæc diffinitio traditur. Conuersio est bona cõsequẽtia ex vna simplici cathegorica in alterã, permutatis dũtaxat extremis in quibus participant. v.g. homo est animal ergo animal est homo nullus homo est equus ergo nullus equus est homo, Quę dif finitio in ipsa diuisione cõuersionis manifestior erit. Diuiditur itaq; cõuersio in triplicẽ formã. Prima forma dicitur con uersio simplex, & cõtingit quãdo prædicatũ vnius ponitur pro subiecto alterius & subiectũ pro prædicato, sed manẽte eadẽ qualitate & quãtitate propositionis. Qua forma cõuertitur vniuersalis negatiua, vt nullus homo est lapis ergo nullus lapis est homo: & etiã prrticularis affirmatiua, vt quidã homo est animal ergo quodã animal est homo. Quas ego cõ sequẽtias naturali lumine immediate cognitas esse arbitror nõ minus quã illa principia dici de omni & dici de nullo. Id quod obseruãdũ est pro reductione imperfectorũ syllogismorũ ad perfectos, quæ sæpe fit cõuersionis ministerio. Est secũda forma cõuersionis, quæ dicitur cõuersio per accidẽs: quæ cõtingit, quãdo fit quidẽ de subiecto prædicatum & de prædicato subiectũ & manẽte eadẽ qualitate propositionis sed permutata quãtitate. Hac forma cõuertitur vniuersalis af firmatiua in particularẽ affirmatiuã vt omnis homo est animal ergo aliquod animal est homo sed nõ fit cõuersio à particulari ad vniuersalẽ. Potest etiã vniuersalis negatiua cõuer ti hac forma cõuersionis per accidẽs, vt nullus homo est lapis ergo quidã lapis nõ est homo: sed non fit cõuersio à particulari ad vniuersalẽ. Aduertẽdum est hic hãc conuersionẽ per accidẽs non esse perse notã, sed reuocatur ad perse notas

Quid sit conuersio.

Triplex conuersio.

Conuersio simplex est per se nota.

Cõuersio per accidens non est perse nota.

tas cōſequentias v.g. omnis homo eſt animal ergo homo eſt animal quę (euidēs eſt à ſubalternāte ad ſubalternatā. Rurſus ex illa ſubalternata infertur, ergo aliquod animal eſt homo per ſimplicē cōuerſionē & p ſe notā. Et eadē eſt cōſideratio in cōuerſione vniuerſalis negatiuæ, vt nullus homo eſt lapis ergo nullus lapis eſt homo per cōuerſionē ſimplicē. Rurſus ergo lapis nō eſt homo à ſubalternāte ad ſubalternatā. Vnde de primo ad vltimū, nullus homo eſt lapis ergo lapis non eſt homo. Hæ duæ formæ cōuerſionū cōducūt & ſufficiunt ſuo miniſterio deſeruire reuocationi imperfectorū ſyllogiſmorū ad perfectos. Nihilominus eſt alia tertia forma cōuerſionis, quā dicūt per cōtrapoſitionē: quæquidē magis intricata eſt & perplexa, ſed minus vtilis ad præſens inſtitutū. Eſt itaq; diffinitio cōuerſionis per cōtrapoſitionē; cōſequentia vnius propoſitionis ad alterā permutatis extremis, nō eiſdē, ſed cōtradictoriorū ita vt de cōtradictorio pdicati fiat ſubiectū & de cōtradictorio ſubiecti fiat prędicatū, manēte nihilominus eadē qualitate & quātitate. Et hoc pacto aiūt cōuerti vniuerſalē affirmatiuā in vniuerſalē affirmatiuā & particularē negatiuā in particularē aliā negatiuā, ſit vtriuſque exēplū omnis homo eſt animal ergo omne nō animal eſt nō homo. Quidā homo nō eſt lapis ergo quoddā nō lapis non eſt non homo. Verūtamen vt appareat quā ſit inutilis hæc forma cōuerſionis ad miniſteriū ſyllogiſmorū, obſeruandū eſt prædictas cōſequentias malas eſſe; & inſtabiles, niſi acceſſerit alia propoſitio in antecedēti quę importet exiſtētiā ſubiecti cōſequētis. Tūc enim firma erit conſequētia v.g. omnis homo eſt albus & nō albū eſt, ergo omne non albū eſt non homo. Alioquin ſi conſtantiā illā non poſueris in antecedēti, inſtabitur illi cōſequētiæ, in euētu in quo nihil ſit nō albū, & omnis homo ſit albus: vbi vides antecedēs verū & conſequens eſſe falſum; quia eſt propoſitio affirmatiua de ſubiecto non ſupponēte. Proportionabiliter etiā cōuerſio per contrapoſitionē particularis negatiuæ erit mala conſequētia, niſi acceſſerit in antecedēti cōſtātia ſubiecti negatiuæ antecedētis, vt v.g. equus nō eſt albus ergo aliquod non album non eſt non equus. Antecedēs erit verū & cōſequēs falſum in caſu in quo nullus ſit equus in mundo, tunc enim antecedens eſt negatiua pro-

Cōuerſio per cōtrapoſitionem.

ua propositio de subiecto nō supponenti, ergo vera; consequens autē erit falsum, si quidē eius contradictoriū est verū, scilicet, omne nō albū est non equus, supponimus enim esse multa alia in mūdo, quæ nō sunt alba, si autē in antecedenti posuisses cōstantiā, & equus est: firmā faceres consequentiā in omni euentu. Rationē huius pro ingeniosioribus proferā. Etenim cōuersio per contrapositionē fundatur in illis duabus regulis Aristotelicis in libro 2. periher. Quarū prior est; ab affirmatiua ad negatiuā prædicato variato penes finitū & infinitū, vt homo est animal, ergo homo nō est nō animal, nā aliàs duo termini cōtradictorij verificarētur de eodē: ac proinde darētur duæ cōtradictoriæ veræ. Etenim si illa nō est bona cōsequentia, dabitur antecedens verū & cōsequēs falsum. Erit igitur hæc vera, homo est animal, & cōsequēs falsum homo nō est nō animal, ac proinde cōtradictoria, ōnis homo est nō animal, esset vera, quod implicat contradictionē. Altera regula est, à negatiua ad affirmatiuā cū cōstātia subiecti, variato prædicato penes finitū & infinitū, est bona cōsequētia, vt bene sequitur, homo nō est albus & homo est, ergo homo est nō albus, alias duo termini cōtradictorij falsificarētur de eadē re existēti. His regulis suppositis, colligitur vniuersalē affirmatiuā cōuerti posse in alterā vniuersalē affirmatiuā per cōtrapositionē ministerio prædictarū regularū, procedēdo de primo ad vltimū. v.g. bene sequitur, omnis homo est animal ergo omnis homo nō est nō animal. Deinceps ex illo consequēti per cōuersionē simplicē ergo omne nō animal non est homo. Rursus omne nō animal nō est homo & aliquod non animal est, ergo omne nō animal est nō homo, per secūdā regulā. Igitur de primo ad vltimū bene sequitur ab vniuersali affirmatiua per cōtrapositionē vltimū cōsequēs: sed nō sine ministerio cōstātiæ cōtradictorij ad prædicatū primæ vniuersalis affirmatiuæ. Eadem via fere & ordine particularis negatiua cōuertetur in particularē negatiuā per cōtrapositionem, sed nō sine intercessione cōstantiæ subiecti antecedētis. Hacten⁹ de cōuersionibus dicta sufficiāt, dūmodo aduertas in cōuersione simplici & in cōuersione per accidens, cum fiūt de propositionibus de extrinseco tēpore vel modalib⁹, vt caueas ne cōtingat alius defectus cōtra regulas Ampliationis

nis vel Appellationis. Esto exemplum. Nullus homo necessario est albus ergo nullum album necessario est homo hæc consequentia mala est, vides enim antecedēs esse necessariū, & consequens impossibile; imo aliquod albū necessario est homo, ostendam enim Petrum album qui necessario est homo & possibiliter est hoc album: sed de hoc alias diximus.

Caput tertium De explicatione diffinitionis syllogismi.



DIFFINITIONEM syllogismi ex primo capite recolētes explicare necesse est: quæ diffinitio talis ab Aristotele habetur. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddā ab his quæ posita sunt, necessario accidit; eo quod hæc sunt. In hac diffinitione, oratio, ponitur loco generis ea ratione qua etiā ponitur in diffinitione argumētationis, quæ est tertia species modi sciēdi. Quāuis enim argumētatio & syllogismus sit hypothetica propositio, tamen loco generis nō ponitur propositio; quoniā argumētatio & syllogismus nō sunt propria species propositionis; eo quod propositio formaliter importat modū significādi verè vel falsè: argumētatio vero & syllogismus nō denominātur formaliter à vero vel falso, sed à bene vel male colligēdi ratione. Vnde cōtinget syllogismū esse falsam propositionē, & nihilominus esse bonū syllogismū. v.g. omnis homo est lapis & omnis equus est homo, ergo omnis equus est lapis, est optimus syllogismus: & tamē vndiq; est falsa ꝓpositio, nō igitur propositio genus est ad syllogismū, sed potius oratio. Obijciet tamen aliquis potius argumentationem, quā orationē collocandam esse loco generis in diffinitione syllogismi: quia syllogismus species legitima est argumentationis. Respondetur ita se rem habere vt dicit obiectio. Verum tamen, quoniam Oratio est quid notius quam argumentatio maluit Aristoteles orationem quæ commune genus est modi sciendi ponere loco generis etiam si non sit immediatū genus ad syllogismum. Omnes aliæ particulæ circunscribūt differentiam propriam syllogismi ab omni alia specie argu-

argumentationis. Est igitur alia particula: in qua quibusdam positis, ac si diceret, in qua oratione positis quibusdam propositionibus, hoc est (vt. Moderni aiunt) dispositis in modo & in figura. Sed profecto Aristoteles per ea quæ sequuntur in diffinitione insinuauit talem dispositionem requisitam in præmissis ex eo quod ex illis necessario sequatur alia propositio. Adiecit enim, eo quod hæc sunt. Et simul explicat quid intenderit per illa verba eo quod hæc sunt, dum inquit; Dico autem eo quod hæc sunt; propter hæc euenire (scilicet conclusionem) propter hæc vero euenire est, vt necessarium non sit alicuius extrinseci termini indigere. Quibus verbis satis dat Aristoteles intelligere conclusionem debere constare ex terminis subiecto & prædicato qui fuerunt termini vtriusque præmissæ absque indigẽtia alterius termini resultātẽ de substantia præmissarum aliā distinctā enūtiationẽ. Quodquidẽ fieri non poterit, nisi termini conclusionis fuerint tam aptè connexi cum aliquo medio, vt necessarium sit ipsam conclusionem consequi ab his quę posita sunt. Qualis autem debeat esse hęc dispositio, postea explicatur per distinctionem figurarum & modorū: sed hæc omnia in ipsa diffinitione syllogismi implicitè tanquam in radice continentur. Adijciunt præterea Moderni cum Petro Hispano particulam, & concessis; quæ quibusdam superflua omnino videtur: nam si præmissæ propositiones bene & legitimè sint dispositæ, etiam si non concedantur, tamen necessariò pariunt conclusionem. Nihilominus illa particula, si bene intelligatur, non superflua, sed ad intelligentiam diffinitionis accommodata est. Certū est enim bonitatem syllogismi & consequentiæ non pendere ex concessione antecedentis. Sed quia finis syllogismi est efficaciter conuincere respondentem, & contingit vtramque præmissam falsam esse simul cum conclusione, non poterit syllogismus esse verus elenchus, idest, captio & conuictio ad alterum redarguendo illum de falsitate, nisi concesserit præmissas esse veras. Sensus igitur illius particulæ necessitatem consequentiæ in tantum explicat, vt qui concesserit antecedens, teneatur concedere consequens, cùm sit primū principium, si consequentia est bona & antecedens est verum,

con-

consequens est verum. Vt igitur Moderni doceant bonitatem syllogismi non consistere in veritate antecedentis, addiderunt illam particulam, & concessis: & iterum eam replicant, cũ aiunt per ea quæ posita sunt & cõcessa. Hactenus de summaria intelligentia diffinitionis syllogismi. Nunc de diuisione syllogismi perfecti ab imperfecto breuiter etiam dicamus. De qua diuisione & vtriusq; diffinitione Aristoteles sic ait; syllogismus perfectus est qui nullius alterius indiget: præterea quæ sumpta sunt; vt appareat necessarius cuius diffinitionis hæc est intelligentia; syllogismus perfectus ille est, qui in inferẽdo cõclusionem tam euidens est ex ipsa præmissarum dispositione vt non indigeat reuocari ad alium syllogismum euidentiorem, vt appareat quam sit necessarium ita concludere sicut ille cõcludit. Syllogismus autem imperfectus ille est qui licet bene & necessario inferat conclusionem ex præmissis secundum diffinitionem & legem syllogismi, tamen non est ita euidẽs in prima frõte eius illatio, vt non oporteat adhibere aliquid aliud, vnde constet de bonitate illationis eius. Hoc autẽ aliud siue alia quorum Aristoteles meminit dicens; syllogismus imperfectus est qui vnius aut plurium indiget, quæ sunt quidẽ necessaria persumptos terminos, non autem per sumptas propositiones; sic explicanda sunt. Etenim syllogismi imperfecti, vt statim videbimus, multipliciter reducuntur ad perfectos. Nunc per conuersionem simplicem, aut per accidens vnius propositionis aut plurium, aut transpositione præmissarum, vel vtroque modo simul, nũc reductione ad impossibile. Et ob hoc dicit Aristoteles, quæ sunt quidem necessaria, id est, quatenus vnũ vel plura sunt necessaria ad illuminationem imperfecti syllogismi. Id autem quod sequitur, per sumptos terminos, nõ autem persumptas propositiones; indicat in reductione syllogismi imperfecti ad perfectum debere semper seruari eosdem terminos, sed non easdem propositiones: nam plerũque in huiusmodi reductione vtendum est conuersione vnius propositionis in alteram; interdum etiam assumitur contradictoria propositio cõclusioni, vt cito explicabitur. Denique de illis duobus principijs, dici de omni & dici de nullo, nihil amplius occurrit explicandum, quàm id quod

Diuisio syllogismi.

capite

capite primo huius libri dictum est: præter quam quòd, dici de omni, est principium regulatiuum pro syllogismis perfectis affirmatiuis. At vero, dici de nullo, regulatiuum est syllogismi perfecti negatiui, hoc est, cuius altera præmissa & conclusio negatiua est.

Caput quartum De diuersitate formarũ seu figurarum & modorum ad constitutionem omnis syllogismi.



EX Aristotele habemus, omnẽ syllogismum ex duabus tantum præmissis propositionibus, & ex tribus terminis constare. At vero duæ propositiones ex tribus tãtũ terminis cõstare, fieri nõ potest nisi aliquis eorũ bis officiũ extremi exerceat in vtraque; nunc vicem subiecti, nunc prædicati obtinens. Is vero terminus merito dicitur medium in syllogismo: alij vero duo dicuntur extremitates. Quarum altera dicitur maior extremitas si est in maiore propositione: & altera dicitur minor extremitas; quæ est in minori propositione. Notandum etiam est, tunc syllogismum concludere directe, quando maior extremitas prædicatur de minori in conclusione, tunc autem indirecte concludit, si minor extremitas in conclusione prædicati locum teneat, & maior extremitas subiectum sit. His ità constitutis diuisionem figurarũ facile intelligemus.

Lib. 1. Prior cap. 25. & 26.

Quid medium.

Quid maior vel minor extremitas.

Cum enim figura sit dispositio trium terminorum secundum debitam subiectionem & prædicationem, ex hac parte differunt figuræ. Triplex figura syllogismorum distinguitur ab Aristotele libro primo Priorũ capite 4. & 5. & 6. Prima figura siue forma est, quando medium est subiectum in maiori & prædicatũ in minori. Vt v.g. omnis homo est animal, omne risibile est homo. Secũda figura est quãdo mediũ prædicatur in vtraq; premissa: vt null⁹ homo est equ⁹, omne hinnibile est equus. Tertia figura consurgit quando mediũ subij-

Quid & quotuplex figura.

An sit quarta figura.

subijcitur in vtraque præmissa: vt omnis homo est albus & omnis homo est doctus. Sed quæritur; quare non asseritur quarta figura ex eo quod potest medium prædicari in maiori & subijci in minori? vt v.g. omne risibile est homo, & omnis homo est animal. Quam figuram, vt aiunt, Auicêna adiecit, & videtur necessaria, nam figura distinguitur secundum varietatem medij cum extremitatibus penes subiectionem & prædicationem. Sed ista quarta coniugatio possibilis est ergo asserenda est quarta figura. Confirmatur; quia non est maior ratio quare medium cum subijcitur in maiori, & prædicatur in minori, constituat figuram quàm vice versa, cum prædicatur in maiori & subijcitur in minori. Nihilominus respondetur; quartam figuram superfluam esse, & inutilem ad artem syllogizandi. Ratio est; quia, vt statim videbimus, non poterit quarta figura variari per modos alios, nisi per eos, per quos variantur modi primæ figuræ: nam sola permutatione præmissarum, (Ita vt maior constituatur loco minoris & minor loco maioris) constitueretur illa figura: & regularetur facili permutatione per illa duo notissima principia, Dici de omni &, Dici de nullo quæ postulant vt medium prius subijciatur quam prędicetur.

[illegible] modus, & quotuplex.

Deinceps dicendum est quid est modus & quotuplex sit modus. Modus est ordinatio duarum propositionum secundum debitam qualitatem & quantitatem. Est autem debita quantitas; vt si vna ex præmissis fuerit particularis; necesse est vt altera sit vniuersalis. Debita autem qualitas est; vt si altera sit negatiua, necessariò altera debet esse affirmatiua. Et hoc est commune in omnibus modis cuiuslibet figuræ. Vnde tales dantur regulæ vniuersales. Prima regula. Ex puris particularibus vel indefinitis nihil sequitur. Secunda regula; ex puris negatiuis nihil sequitur. Tertia regula cõsequẽs ad primam; si aliqua præmissa fuerit particularis conclusio debet esse particularis; sed non viceuersa. Quarta regula; si aliqua præmissa fuerit negatiua, conclusio erit negatiua. Quinta regula. Medium non debet intrare conclusionem. Omnes hæ regulæ quinque examinabuntur postea. Nunc autem sic intelligantur necessariæ, ad hoc vt conclusio syllogisticè consequatur composita ex ipsis extremitatibus, in vir-

Regulæ communes quinque.

virtute connexionis medij in vtraque, vel in altera præmissa. Sed vt hæc omnia plenius comprehendantur, operepretium est modos omnes trium figurarum ante oculos discipulorum obijcere, & suis proprietatibus distinguere.

Sunt igitur omnium figurarum modi vndeviginti. Prima figura nouem occupat modos. Secũda figura quatuor modis contenta est. Tertia denique sex modis exhauritur. Et in hoc mirabile fuit Aristotelis ingenium; qui in singulis figuris posibiles omnes modos iuxta vsitatum modum loquendi adinuenerit: & vnicuique suum proprium numerum distribuerit.

Prima itaque figura ad nouem modos extenditur, qui sequentibus dictionibus indicantur, vt memoria teneri possint. Barbara. Celarent. Darij. Ferio. Baralipton. Celãtes. Dabitis. Fapesmo. Frisesomorum.

Secundæ figuræ modi per quatuor dictiones indicantur. Cesare Camestres. Festino. Baroco.

Tertiæ figuræ modi sex dictionibus significantur. Darapti. Felapton. Disamis. Datisi. Bocardo, Ferison.

Vt autem harum dictionum significatio intelligatur, obseruandum est, primo has vocales. A. E. I. O. Signa esse differentis quantitatis, & qualitatis propositionum præmissarum & conclusionis, sicut etiam in modalibus & conuersionibus dictum est. A, nota est propositionis vniuersalis affirmatiuæ. E, denotat vniuersalem negatiuam. I, particularem affirmatiuam repræsentat. O, particularem negatiuam indicat. Nota secundo; in qualibet dictione prædictorum solas tres priores vocales notant quantitatem & qualitatem propositionum; reliquæ vero vocales (si quæ fuerint) nihil significant: sed propter mensuram versus adiectæ funt.

Nota tertio in prædictis dictionibus esse etiam quasdam consonantes significatiuas. Et in primis omnes modi incipiunt ab aliqua consonanti ex his quatuor. B. C. D. F. quæ originaliter inueniuntur in quatuor primis modis primæ figuræ. Et in quouis modo inueniatur in principio aliqua ex ipsis quatuor, notat modum illum reducendum esse ad vnũ ex quatuor primis ab eadem litera incipientem. Sunt præterea & aliæ quatuor literæ consonantes, in medio modorum;

exceptis quatuor primis. Quæ quidem significatiuæ sunt. Nimirum. M. S. P. C. & enim. M. denotat permutationem præmissarum illius modi esse necessariam, vt modus ille reducatur ad perfectum modum primæ figuræ. Litera vero. S. indicat præmissam significatam per vocalem immediate antecedentem conuertendam esse simpliciter in reductione illius modi ad perfectum. P. autem dicit conuertendam esse per accidens propositionem significatam per vocalem immediate præcedentem. Denique. C. docet modum illum reducendum esse ad perfectum, non per conuersionem, sed per impossibile, videlicet, ex contradictoria consequentis cum altera præmissarum ad contradictoriam alterius argumentando. Vt paulo post ipso exercitio reducendi imperfectos modos ad perfectos patebit. Iam vero incipiamus exempla ponere constituendorum syllogysmorum in quauis figura & in quouis modo. Prima itaque figura, in qua mediū subijcitur in maiori & prædicatur in minori, habet quatuor primos modos perfectorum syllogismorum & directe concludentium: ad quos tota machina aliorum modorum tanquam ad fundamentum reuocāda est. Habet etiam alios quinque imperfectos: qui indirecte concludūt & per cōuersionē reducūtur ad perfectos. Vt igitur totum hoc syllogizandi artificiū experiētia exercitationis cōprehendas, accipe primū exempla in prima figura. Primus modus significatus per. Barbara, in qua dictione triplici A. tres propositiones vniuersales affirmatiuas ex tribus terminis cōstitues hoc pacto. Omnis homo est equus, omnis lapis est homo ergo omnis lapis est equus. De industria exēplū adhibui in falsis propositionibus & impossibilibus, vt aduertas bonitatē syllogismi nō pēdere à veritate propositionū, Hoc enim pertinet ad syllogismū demōstratiuū Nūc autē de bonitate syllogisticæ cōsequētiæ, agimus, ex debita dispositione triū terminorū & duarū premissarū. Quæ si admittātur non potest non admitti conclusio.

Sit secūdū exemplū in secūdo modo eiusdē primę figurę qui notatur per secūdam dictionem, Celarēt. Huius prima propositio est vniuersalis negatiua: Secūda vniuersalis affirmatiua: & tertia (quæ est conclusio) est vniuersalis negatiua

v.g. hic syllogismus est in Celarent; nullus homo est lapis, omne risibile est homo ergo nullum risibile est lapis. Hinc iam tu pone exempla in alijs duobus perfectis modis, Darij & Ferio, sed accipe exemplum in primo modo imperfecto primæ figuræ qui est, Baralipton. Omnis homo est animal, omne risibile est homo ergo animal est risibile. Ecce conclusionem, quæ indirecte cócluditur. Reliqua exempla primæ figuræ facile tibi erit proferre.

Secunda figura quatuor dumtaxat modos habet directe concludentes, & semper negatiuè. Ecce exemplum de Cesare; nullus homo est lapis, omnis equus est lapis ergo nullus equus est homo. Ecce alterum exemplū de Camestres. Omnis homo est risibilis nullus equus est risibilis, ergo nullus equus est homo. De Festino, & de Baroco, tu pone exēpla.

Tertia figura sex modos continet directe concludentes, semper tamen conclusionem particularem, aliquando affirmatiuam, aliquando negatiuam. Ecce exemplū de Darapti; omnis homo est risibilis, omnis homo est rationalis, ergo rationale est risibile. Ecce exemplum de Felapton; Nullus homo est lapis, omnis homo est substantia ergo aliqua substantia non est lapis. Sit exemplū. De disamis. Homo est substātia, omnis homo est animal ergo animal est substantia. Reliqua exempla de alijs tribus discipulus cōstituat, sicut & alia quæ de industria silentio prçteriuimus, vt instante præceptore discipuli ingenium exerceant. Maior tamen præceptoris diligentia adhibenda est circa exercitationem reducendi, & reuocandi quindecim modos imperfectos ad quatuor illos primos perfectissimos, qui immediate regulantur per duo illa notissima principia; Dici de omni, & dici de nullo.

Caput quintum De reductione imperfectorum modorum Quindecim ad quatuor primos perfectos.



ECOLENDA sunt quæ diximus capite præcedenti quemlibet modum imperfectum ad illum perfectum reducendum, qui ab eadem litera incipit. Vt ad Barbara omnes incipientes in B. Qui sunt tres, Baralipton, Baroco, Bocardo. Ad Celarent, omnes incipientes in. C. Qui etiam sunt tres, Celantes, Cesare, Camestres. Ad Darij reducuntur omnes incipientes in D. qui sunt quatuor. Dabitis qui ex prima figura imperfectus est non alia ratione nisi quia concludit indirecte. Et alij tres ex tertia figura Darapti, Disamis, Datisi. Ad Ferio reducuntur omnes incipientes in. F. qui sunt quinque. Duo videlicet ex prima figura, Fapesmo & Frisesomorum: & vnus Festino de secunda figura: & alij duo ex tertia figura. Qui sunt Felaptõ, &, Ferison. Hoc igitur ordine si placet poteris compendiosius singulos imperfectos modos ad perfectos reducere ministerio conuersionis simplicis & per accidens, & interdum permutatione præmissarum. Soli duo modi imperfecti reducuntur ad Barbara absque ministerio conuersionis speciali ratione argumentandi deducendo negantem consequentiam de Baroco & de Bocardo, ad Barbara. Id quod statim ostensuri sumus, Sed prius discipulum admonitum esse volo, vt ante oculos habeat potissime illud primum principiũ naturali lumine perspicuum. In bona consequentia si antecedens est verum consequens debet esse verum. Et in mala consequentia posse dari antecedens verum & consequẽs falsum. Item recolere oportet, alias duas regulas quæ ex prædicto principio euidenter colliguntur. Altera est, in bona consequentia quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad eius antecedens. Altera est, in bona consequentia ex contradictorio consequentis sequitur cõtradictorium antecedentis. Has regulas abunde satis explicatas dedimus supra libro tertio.

His

His ita constitutis;facile poteris & confidenter accedere, vt demonstres quemlibet modum ex imperfectis per euidẽtes consequentias reuocari ad aliquem ex perfectis:ita vt in omni reductione his rationibus duabus vel altera ex illis vti possis. Si consequentia.v.g. de Darapti, non est bona ergo consequentia de Darij non est bona. Vel sic; consequẽtia de Barbara est bona ergo consequẽtia de Baralipton bona est. Vel aliter si consequentia de Baroco & Bocardo non est bona,ergo consequentia de Barbara non erit bona. Sed iã experire prædicta documenta & reduco ad Barbara omnes modos imperfectos sibi suffragantes.v.g.Baralipton, qui communicat in duobus præmissis cum Barbata differens dumtaxat in conclusione particulari & indirectè cõcludenti. Tũc sic argumentor. Præmissæ vtriusque modi sunt æquipollẽtes ex eijsdem terminis : imo sunt eædem sed ex conclusione de Barbara infertur conclusio de Baralipton per conuersionem per accidens,scilicet,ab vniuersali ad particularẽ per mutatis extremis particularis ergo etiam sequitur illa conclusio particularis ex præmissis de Baralipton quæ sunt eædem per illam regulam;quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ sequitur ad eius antecedens. Ecce igitur quomodo si consequentia de Barbara bona est etiam consequentia de Baralipton,& si consequentia de Baralipton est mala & non potest inferre conclusionem illam particularẽ multo peior erit syllogismus de Barbara qui ex eijsdem præmissis infert conclusionem vniuersalem.Iã vero reducamus, Baroco,qui est modus secũdæ figuræ ad Barbara per impossibile.Ecce syllogismum in Baroco.Omnis homo est animal lapis non est animal,ergo lapis non est homo.Ostendo tibi euidenter hunc syllogismum esse legitimum & necessariũ. Nam detur oppositum,Baroco esse malam consequentiam, sequitur quod Barbara est mala consequentia.Probo sequelam,nam si Baroco est mala cõsequentia, ergo possibile erit dari antecedens verum & consequens falsum,sit igitur verũ illud antecedens,omnis homo est animal, lapis non est animal,& consequens falsum,lapis non est homo:tunc sic:ergo contradictoria cõsequentis,omnis lapis est homo,erit vera. Accipiam ergo illam cum maiore de Baroco , & fient præ-

missæ in Barbara, omnis homo est animal, omnis lapis est homo, plane infertur, ergo omnis lapis est animal quæ est cõtradictoria minoris de Baroco, quã tu cõcesseras verã esse, et go cõuinceris cõcedere duas cõtradictorias aut recãtare palinodiã & fateri bonũ esse syllogismũ de Baroco. Iã de Bocardo facilis tibi erit aditus, vt astẽdas legitimũ esse syllogismũ, reducẽdo ad impossibile eũ qui negauerit, esse necessariũ argumẽtãdo, ex opposito cõsequẽtis cũ præmissa affirmatiua d Bocardo & inferẽdo cõtradictoriã maioris d Bocardo v.g. in tertia figura hic syllogismus est in Bocardo; equus nõ est lapis, omnis equus est hinnibilis ergo hinnibile nõ est lapis. Sic argumẽtor: si hic syllogismus non est bonus; ergo poterit dari antecedẽs verũ & cõsequens falsum in se vel in simili forma. Da igitur antecedens verũ & consequens falsum. Tunc sic argumẽtor; ergo contradictoria cõsequentis erit vera. Constituã ergo illam pro maiore simul cum minore de Bocardo, & faciam præmissas de Barbara. Omne hinnibile est lapis, omnis equ⁹ est hinnibilis ergo omnis equus est lapis, quæ est cõtradictoria maioris de Bocardo, quã tu concesseras esse verã: ac proinde captus es elencho cõtradictionis. Hac igitur de causa dicũtur isti duo modi reduci per impossibile. Deinceps reliquorum modorum reducibilium ad perfectos faciliora sunt exempla ministerio conuersionis simplicis: quæ consequentia euidens est, & interdum conuersione per accidens, quæ vt ostendimus capite. 2. per euidentem consequentiam, ab vniuersali ad subalternatam, & à subalternata per conuersionem simplicem deducitur intenta conclusio.

Vt visum est in reductione de Baraliptõ, Celarent; superintendit regulationi aliorum trium modorum: scilicet Celãtes, de ipsa prima figura & Cesare & Camestres de secũda. Quorum regulatio facilis est. Nã Celãtes easdem habet præmissas quas habet Celarent differens tantum in cõclusione quæ indirecte concluditur, & conuersa simpliciter cum sit vniuersalis negatiua efficitur conclusio de Celarent. Cuius exemplum dicipulus cogatur ponere. Cesare vero in nullo differt a Celarent; nisi in maiori, propterea quod cum sit secũdæ figuræ habet mediũ pro prædicato. Vnde facta cõuersione

sione simplici emergit statim syllogismus in Celarent. Sed Camestres, facta conuersione simplici in minori & conclusione & permutata minori cum maiori transformatur in Celarent per euidentes consequentias.

Darij de inceps inuenitur super intendere quatuor modis sibi suffragantibus, nimirum, Dabitis de prima figura & Darapti & Disamis & Datisi, de tertia figura. Quorum reuocatio ad Darij facillima est. Nam Dabitis in nullo alio differt à Darij, nisi quia conclusio indirecte concluditur & per simplicem conuersionem fit cōclusio de Darij. Sed Darapti differt à Darij in sola minori & in figura. Minor enim de Darapti est vniuersalis affirmatiua per cuius conuersionem per accidens tertia figura mutatur in primam & minor de Darapti infert minorem particularem de Darij deinde in Disamis maiore conuersa simpliciter, similiter & conclusione, ac permutatis præmissis, videbis figuram tertiam in primam transijsse & modum Disamis optima consequentia permutatum in Darij. Denique Datisi sola conuersione simplici minoris totus transit in Darij.

Ferio tandem dux & caput est quinque inferiorum, qui eum tanquam propriam mensuram agnoscunt, videlicet, Fapesmo, & Frisesomorum, de prima figura, & Festino de secunda figura, & Felapton & Ferison de tertia figura, omnes hi quinque suis literis notati sunt quo pacto reducendi sint ad Ferio tanquam ad regulam. Primus quidem Fapesmo postulat conuersionem maioris per accidens, & conuersionem minoris simpliciter, & permutationem præmissarum: & confestim consurgit Ferio. Sed Frisesomorum simplicem conuersionem exigit maioris & minoris, & permutationem præmissarum vt resultet Ferio. Festino deinceps in secunda figura faciliorem transitum habet ad Ferio, nam sola conuersione simplici maioris, festinat, & conuertitur in Ferio. Felapton deinde, qui est modus tertiæ figuræ, sola conuersione per accidens minoris, vertitur in Ferio. Denique Ferison facillime commutatur cum Ferio sola conuersione simplici minoris.

En tibi omnes formæ reuocandi syllogismos imper-

fectos in quindecim modis conſtitutos, ad quatuor perfectos, qui non indigent aliquo alio, vt ſint neceſſarij, quia immediate exercent quæ illa duo principia Dici de omni, & Dici de nullo, naturali lumine indicant. Et quidem de induſtria ſingulorum modorum exempla non expreſsi, tum ne prolixus & faſtidioſus viderer; tum etiam vt diſcipuli in eiuſmodi exemplis proferendis ingenium exerceant: & pluris æſtiment quæ ſua opera pepererũt, quæ profecto tenacius memoriæ infigentur, quam ſi ſcripta inuenirent.

Vnum tamen documentum hoc in loco vniuerſale quidẽ, ſed non inutile, proferam. Obſeruandum eſt enim, nullũ eſſe modum ex quindecim imperfectis, qui non poſsit oſtẽdi neceſſarius per reductionem ad impoſsibile perueniẽdo ad aliquem modum perfectum ex illis quatuor primis primæ figuræ. Quidam quidem immediate, quales ſunt quatuor modi ſecundæ figuræ: & quinque primæ figuræ v. g. Baraliptõ; omnis homo eſt riſibilis, omne rationale eſt homo ergo riſibile eſt rationale: ſic reducitur per impoſsibile: omne rationale eſt homo, nullum riſibile eſt rationale, ergo nullum riſibile eſt homo: ac proinde nullus homo eſt riſibilis, quæ eſt contraria maioris de Baralipton, quod reducitur ad Celarent ex contradictoria conſequentis cum altera præmiſſarum. Similiter Ceſare. v. g. Nullus lapis eſt animal, omnis homo eſt animal ergo nullus homo eſt lapis; ſic reducitur ad Ferio; Nullus lapis eſt animal, homo eſt lapis ergo homo non [redacted] Vbi vides contradictoriam conſequentis pro minori & contradictorium minoris pro concluſione in Ferio. Veruntamen modi tertiæ figuræ non poſſunt reduci immediate per impoſsibile ad quatuor modos primæ figuræ vt. v. g. hic ſyllogiſmus de Darapti, omnis homo eſt animal, omnis homo eſt rationalis ergo rationale eſt animal. Sic reducitur per impoſsibile; Nullum rationale eſt animal, omnis homo eſt animal ergo nullus homo eſt rationalis qui ſyllogiſmus eſt in Ceſare. Et ita experieris in aliorum tertiæ figuræ modorum reductione non immediate ad primam figuram reuocari, ſed ad ſecundam. Et ob hanc rationem, & quia non reducuntur ad modum incipientem ab eadem litera, meritò placuit Dialecticis duntaxat Baroco & Bocardo per impoſ

ſibile

fibile reducere ad Barbara,reliquos vero modos conuerfionis minifterio & interdum præmiffarum permutatione reducere ad quatuor modos perfectos primæ figuræ immediate fingulos ad fingulos ab eadem litera incipientes.

Caput fextum, In quo exacte omnia prædicta examinantur & explicantur.



ELIQVVM eft quædam alia adijcere vt omnia quæ de fyllogifmis documenta data funt plenius à difcipulis intelligantur.

In primis circa numerum modorum cuiuflibet figuræ obferuandum eft, Ariftotelē duntaxat limitatum numerum decem & nouem modorum inueniffe, in quibus omnes vtiles & pofsibiles coniugationes variæ medij cum extremitatibus continētur. Reliquas vero connexiones mutata quantitate vel qualitate propofitionum ineptas ad inferendam fyllogiftice cōclufionem iudicauit. In qua re demonftranda laboris plurimum fufcepit in libris Priorum;quorum intelligētiæ propter abfcuritatem grammaticalis cōftructionis moderni Dialectici operam non dederunt. Neq̃ mirum fiquidem D. Thomas fuper libros illos commentarios non edidit. Mihi vero vnum duntaxat argumentum fufficientis numeri vndeviginti modorum fatisfacit, Quia nullus adinuenire poteft aliam figuram, neque alium modum ad fyllogizandum. In primis de quarta illa figura, quam dicunt Auicenam finxiffe iam fupradiximus nihil vtilitatis afferre, quæ in prima figura non inueniatur. Circa modorum vero multiplicationem, fiquis tentauerit plures alios adinuenire, facile erit oftendere illos effe vel fuperfluos, vel prorfus ineptos ad fyllogizādum. Superfluos quidem vt fiquis velit inter perfectos modos primæ figuræ annumerare Barbari & Celaro. Et in vniuerfum in reliquis modis in quibus vniuerfalis propofitio affirmatiua vel negatiua concluditur velit multiplicare alios modos affines in quibus particularis affirmatiua vel negatiua fubftituatur loco cōclufionis vniuerfalis; nihil magis fu-

perfluum inuenietur in arte syllogizandi. Ratio est, nam vsque adeo per se manifesta est consequentia à subalternante vniuersali propositione ad subalternatam particularem; vt superuacaneum & stultum sit propterea alium modum syllogizandi distinguere. Nulla enim ars necessaria est ad cauẽdum id in quo nemo errare potest. Cæterum ineptos ad syllogizandum modos eos esse, in quibus nec debita quantitas, nec debita qualitas, obseruatur, satis admonitum est per eas regulas supra positas capite quarto in diffinitione modi; nimirum, ex puris particularibus, vel ex puris negatiuis, nihil sequi. Quarum ratio fere vna est. Nam cum vis syllogizandi consistat ac fundetur in connexione medij cum extremitatibus, vel cum altera saltem extremitate, vt inde emergat conclusio ex eisdem extremitatibus constans vel affirmatiua si medium cum vtraque extremitate fuerit affirmatione coniunctum, vel negatiua, si cum altera tantum extremitate affirmatione fuerit vnitum & ab altera separatum, Hinc est quod neque ex puris particularibus, in quibus medium non distribuitur, ac proinde nec sufficienter connectitur cum extremitatibus, possit colligi identitas extremitatum inter se, v.g. si dicas, aliquod sensibile est homo & equus est sensibilis ergo equus est homo. Etenim medio non distributo, verificabuntur præmissę pro diuersis suppositis & erit falsa conclusio quæ requirit vnitatem rei significatæ per prædicatum cum re significata per subiectum. Et hoc est in proposito dari terminos in quibus nulli, videlicet, cõueniat prædicatum subiecto. Proportionabiliter neque ex puris negatiuis poterit conclusio ex eisdem extremitatibus colligi syllogistice. Cuius ratio est, nam ex eo quod duæ extremitates non sint eædem vni tertio, non sequitur, à se inuicem separatas esse, neque easdem inter se vnum esse. v.g. ex istis præmissis nullus homo est lapis, nullus equus est homo, non sequitur, ergo nullus equus est lapis, neque sequitur, aliquis equus nõ est lapis: & multo minus, ergo equus est lapis. Dabitur enim instantia contra asserentem illum esse syllogismum, assignãtes terminos, in quibus omni, hoc est, in quibus cum veritate vtriusque præmissæ stet in veritate vel contradictorium vel contrarium consequentis. Vt v.g. nulla arbor est sensibilis,

lis,nullus equus est arbor:ergo nullus equus est sensibilis.Ecce antecedens verum & consequens falsum.Cuius contrariū vniuersale verum est,omnis equus est sensibilis, & ita dedimus terminos,in quibus omni. Vbi obseruari debet, Aristotelem libro primo Priorum cap.28.Et deinceps,non mediocriter sollicitum fuisse de retione facile inueniendi medium ad syllogizandum & concludendum quod proponitur. Ait enim non solum quomodo syllogismi fiant meditandum nobis est,sed magis adeò quomodo faciēdorū facultas prōptissime nobis constet.Et quidē horsum pręmittit diuisionē quādam,eorum quæ sunt & per terminos significantur.Nam inquit,Alia quidem sic se habent vt de nullo alio prædicetur, qualia sunt singularia vt Callias,de ipsis autem singularibus alia prædicantur vt homo & animal.Alia vero sic se habent vt ipsa quidem de alijs prædicentur de ipsis autem nihil prædicetur,qualia sunt vniuersalissima genera. Alia deniq; sunt vt & ipsa de alijs,& de ipsis alia prædicentur , vt homo de Callia,& de homine animal prædicatur.Adiecit autem, singulare posse de aliquo prædicari secundum accidens, vt si dicamus,hoc album est Callias.Deinceps vero quædam documēta subobscure tradit ad inueniendum medium volenti cōcludere aliquam propositionem:siue vniuersalem affirmatiuam;siue negatiuam siue particularem affirmatiuam; siue negatiuam. Quæ documenta multo clarius à Modernis proponuntur. Quamobrem operæpretium erit hoc in loco doctrinam Petri Hispani transcribere; & deinde meum qualecunque iudicium proferre.

Caput

Caput ſeptimum In quo ex Petro Hiſpano ars inueniendi medium declaratur.



PETRVS Hiſpanus ſic habet; Quia Ariſtoteles in prioribus oſtendit coniugationes in quibus non ſequuntur concluſiones ex præmiſsis eſſe inutiles, per inuentionem terminorum in quibus non tenet huiuſmodi coniugatio: ideo vtilis eſt inuentio talium terminorum vbicunque fiat inutilis coniugatio contra regulas ſyllogiſmorum prius aſsignatas. Accipiendi igitur ſunt duo termini diuerſi, ſcilicet, duæ ſpecies ſub vno genere vt; homo; equus; animal; vel duo termini quorum alter de altero prædicetur ſiue conuertibiliter ſiue non, cum extraneo vtriuſque vt, Homo, riſibile; Lapis. Vel accipiendi ſunt duo termini, quorum alter de altero prædicetur ſiue conuertibiliter ſiue nõ, cum ſuperiore ad vtrumque vt homo, riſibile; ſubſtantia. Vel, Homo, Animal; ſubſtantia. Per hanc igitur regulam trimembrem & diſiũctiuam inquocunque genere ſiue ſubſtantiæ ſiue quantitatis, ſiue alicuius aliorum, ſemper inuenientur termini per quos inutilis coniugatio demonſtrabitur non tenere. Et tales terminos appellat Ariſtoteles in Prioribus, Terminos in quibus non. Et nota quod inuenire terminos in quibus non; eſt acceptis tribus terminis facere coniungationem, in qua præmiſſæ ſunt veræ & concluſio falſa, manente eadem qualitate & quantitate propoſitionum, verbi gratia hęc eſt inutilis coniugatio; Nullus homo eſt equus, nullus lapis eſt homo, ergo nullus lapis eſt equus. Contra hanc inutilem coniugationem accipiuntur, termini in quibus non, per ſecundum membrum regulæ: Homo: Equus, Riſibile, & fiet talis coniugatio Nullus equus eſt riſibilis, Nullus homo eſt equus, ergo Nullus homo eſt riſibilis. Quæ cõiugatio ſimilis formæ eſt cum illa priore: & tamẽ præmiſſæ ſunt veræ & cõcluſio falſa, ergo & altera cõiugatio inutilis erit ſiquidem non eſt vniuerſaliter bona conſequentia. Hactenus

ex

ex Petro Hispano. Veruntamen moderniores non contenti prædicta trimembri regula, plures alias adiecerunt ad intelligendam artem inueniendi medium. In primis definiũt quid sit ars inueniendi medium; & aiunt artem inueniendi mediũ esse per quam proposita quauis propositione inueniatur vnus terminus, qui sit medium ad concludẽdum illam in aliquo certo modo syllogistico v.g. proposita hac propositione particulari. Animal est substantia, vt concludatur in Darij medium debet esse corpus, & vt syllogizetur in Darapti medium debet esse homo. Et in negatiuis proportionabiliter, vt statim apparebit. Supponit enim, (vt aiũt Moderniores) Aristoteles, quod syllogismus debet constare ex prædicationibus directis. Quodquidem ego suppositũ falsum existimo. Etenim quanuis in demonstrationibus prædicationes directæ postulentur vt in plurimum, tamen recte syllogizãdi ars libera est, & indifferenter directe vel indirecte conclu dit, & ex necessarijs vel impossibilibus vel contingentibus procedit præmissis. Est enim optimus syllogismus, omne risibile est equus. Omne risibile est homo ergo homo est equus: in quo nulla ratio habetur directæ prædicationis vt patet. Vnde ego existimo Aristotelem in loco citato nullatenus sua documenta eo direxisse, vt artem demonstrandi syllogistice doceret. Hoc enim ad libros posterioris resolutionis reiecit. Sed mens eius fuit adolescentium ingenia exercere, vt facile inuenirent medium ad instandum paralogysmis, in quibus conclusio non syllogistice colligitur ex connexione medij cum extremitatibus. Et quoniam vera instantia est, dare antecedens verum & consequens falsum, idcirco necesse erit adinuenire tale medium, vt in simili forma præmissarum & conclusionis fiat similis paralogysmus in quo euidenter præmissæ sint veræ & conclusio falsa. Et ad hunc finem trimembris regula Petri Hispani ingeniosis discipulis sufficiens est: rudioribus vero nullæ regulæ. Nos autem semper persistimus in hoc, mẽtem Aristotelis libro primo Priorum capite 28. & 29. eam fuisse, tradere artem facile syllogizandi cõtra eum qui paralogysmis decipere intẽdit. Ad quem finem maxime conducit inuenire terminos in simili forma in quibus oppositum consequentis paralogysmi

often-

oſtendatur verum. Atqui horſum ipſe Ariſtoteles varias terminorum coniugationes Alphabeticis literis multiplicat, vt doceat omnem modum concludendi omnem propoſitionem ſiue vniuerſalem affirmatiuam, ſiue negatiuam ſiue particularem affirmatiuam vel negatiuam, & hac via contra Paralogyſmos concludentes particularem negatiuam inueniũtur termini in quibus omni: & contra concludentes particularem affirmatiuam inueniendi ſunt termini in quibus nulli. Cæterum contra Paralogyſmos concludentes vniuerſalẽ affirmatiuam, non neceſſe eſt inuenire terminos in quibus nulli, tametſi inuẽtis, optimè concluditur falſam eſſe concluſionem vniuerſalem affirmatiuam Paralogyſmi, quia eius cõtraria vniuerſalis negatiua oſtenditur eſſe vera. Siquidẽ duæ contrariæ non poſſunt eſſe veræ. Diximus autem ad inſtandum contra Paralogyſmum concludentem vniuerſalem affirmatiuam, non opus eſſe inuenire terminos in quibus nulli, hoc eſt, in quibus nulli ſuppoſito ſubiecti conueniat prædicatum, ſufficiet etenim inuenire terminos in quibus alicui non conueniat. Tunc enim particularis negatiua contradictoria eſt concluſionis vniuerſalis affirmatiuæ. Proportionabiliter contra Paralogiſmum male concludentem vniuerſalem negatiuam, nõ opus erit inuenire terminos in quibus omni in alia conſequentia ſimilis formæ, ſed ſufficiet inuenire terminos in quibus ex præmiſsis ſimilis formæ, alicui cõueniat prædicatum. Erit enim talis concluſio contradictoria vniuerſali negatiuæ. Neque huius doctrinæ immemor fuit Ariſtoteles vbi ſupra, non enim duntaxat mentionem fecit de terminis in quibus omni & in quibus nulli, ſed etiã de terminis in quibus alicui inſit prædicatum, & de terminis in quibus alicui non inſit, regulam dedit in principio capitis 29. vbi ſupra. In ratione itaque & arte inſtandi aduerſus Paralogiſmos maxime adoleſcentium ingenia ſe ſe exercere debent. Fiet etenim hoc exercitio vt veri ſyllogiſmi rationem bonitatis penetrent, Id quod ſpero futurum ſi ſequentia documenta obſeruauerint & in promptu habuerint.

Caput

Caput octauum In quo Autor fundamenta & regulas dignoſcendi legitimum ſyllogiſmum & diſtinguendi à Paralogiſmo tradit.



VMERVS omnium intrinſece requiſitorum ad legitimum ſyllogiſmum ſeptenarius eſt, Dixi autem intrinſece requiſitorum; nunc enim de diſpoſitione legitima præmiſſarum agimus, quibus ſi aliquid deſit ex ſeptem requiſitis, inutilis erit præmiſſarum diſpoſitio: ita vt nullam concluſionem ſyllogiſticè inferre valeant.

Primum requiſitum eſt. Vt ſyllogiſmus conſtet ex duabus tantum propoſitionibus præmiſsis & ipſæ ex tribus tantum terminis, ac proinde vnus ex tribus terminis bis debet eſſe extremum in præmiſsis, ex cuius varietate diſtinximus ſupra tres figuras. Secundo requiritur, vt medium omnino teneatur vniuoce in vtraque præmiſſa aliàs non eſſet re vera medium niſi tantum voce tenus. Tertio requiritur completa diſtributio medij, ſaltem in aliqua præmiſſarum ſi fuerit incomplexum: ſi autem fuerit complexum debebit in altera præmiſſa vnam partem complete diſtribui & alteram in altera præmiſſa vbi cauendum eſt, ne pars diſtributa in vna præmiſſa reſpectu alterius ſtantis confuſe, maneat in altera confuſe reſpectu eiuſdem: vt poſtea oſtendemus. Quarto requiritur, vt vel ambæ præmiſſæ ſint affirmatiuæ vel ſaltem altera, in quo requiſito includitur illa regula ex puris negatiuis nihil ſequitur. Quintò requiritur, vt medium vbi non diſtributum fuerit, non teneatur magis ample vel minus reſtricte quam vbi diſtribuitur. Sexto requiritur, ne medium in affirmatiua teneatur magis ample vel minus reſtricte quam in negatiua. Septimo requiritur, vt medium ſit totale extremum ſaltem in altera præmiſſarum, ſed permittitur in altera

præ-

præmissarū aliquid adijcere medio dummodo alia requisita seruentur.

Veruntamen non sufficit, hæc septem requisita commemorasse, nisi eorum rationem ex notissimo & vniuersali fundamento recte syllogizandi reddiderimus. Id vt fiat ad examinationem regularum & conditionum legitimi syllogismi descendamus, vbi simul septem requisita quæ quasi in Epilogum collegimus manifestabuntur.

Expositio regulæ ex puris particularibus.

Prima regula fuit communis omni syllogismo, vt nō procedat ex puris particularibus vel indefinitis. Cui Petrus Hispanus adiecit: neque ex singularibus. Sed hæc adiectio necessaria non est, quia vt postea videbimus, syllogismus expositorius optimus est & omniium syllogismorum fundamētū, & tamē cōstat ex præmissis singularibus. Sed quia vsq; adeo manifestum est, vt arte non indigeat, non comprehenditur inter modos trium figurarum. Hæc regula intelligenda est de præmissis propositionibus de vsitato modo loquendi, inter quas non annumeratur propositio affirmatiua cuius prædicatum distribuitur. v. g. homo est omne animal. Si autem [redacted]uiusmodi propositiones admittantur, fieri poterit syllogismus ex pręmissis particularibus. v. g. homo est omne animal. [redacted]quus non est homo ergo equus non est animal. Sed quia maior illa infert hanc, omne animal est homo non vere procedimus ex [redacted] particularibus. Nam ex illa maiore cum minore negati[redacted]t syllogismus in Baroco, omne animal est [redacted]o, equus non est homo ergo equus nō est animal ac proinde ex illis primis præmissis non procedebamus ex puris particularibus. Fundatur enim hæc regula in eo quod in particularibus propositionibus vel medium non distribuitur, vel si distribuatur non distribuitur extremitas quæ cum distributione concludenda est. Sed quando cauetur, ne mediū maneat absque completa distributione & ne procedatur à non distributo ad distributum, nihil impedit præmissas secūdum formam esse particulares, dummodo ex eisdem terminis aliæ duæ præmissæ inferantur habiles iuxta regulas cōmunes syllogizandi.

Expositio regulæ ex puris negatiuis

Secunda regula est. Ex puris negatiuis nihil syllogistice sequitur. Quæquidem proportionabiliter intelligenda est obser-

obſeruando particulam, ex puris. Nam poterit eſſe aliqua propoſitio mixtæ copulæ quæ virtualiter ſit affirmatiua habilis vt ex eiſdem terminis cum altera præmiſſa negatiua inferat ſyllogiſticam concluſionem. Qualis eſt hæc, omnis homo fuit & non eſt albus, quæ infert hanc omnis homo fuit albus, quæ cum hac negatiua aliquod animal non fuit album eſt habilis ad inferendam concluſionem in Baroco, ergo aliquod animal non fuit homo. Imo & hanc aliquod animal non eſt vel fuit homo. Obſeruandum eſt autem, propoſitionem mixtæ copulæ diſiunctim, vt hæc omnis homo eſt vel non fuit albus æſtimandam eſſe quaſi pure negatiuam ad artem ſyllogizandi. Propterea quod illa ſequitur ex pure negatiua, qualis eſt hæc omnis homo non fuit albus. Ac proinde non amplius requirit ad ſui veritatem propoſitio de diſiuncta copula miſta quã pure negatiua, vnde infertur. Alioquin daretur facile antecedens verum & conſequens falſum, Ratio huius regulæ & præcedentis fundatur in eo quod ſyllogiſtica concluſio debet conſequi ex vi connexionis medij cum extremitatibus. Nam primum principium eſt. Quæcũque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem interſe. At vero cum in puris particularibus medium ſit terminus communis non diſtributus, poterit vtraque extremitas cõiungi cum diuerſis ſuppoſitis medij & de illis verificari, & tamen inde non colligetur extremitates eſſe idem interſe: ſiquidem in antecedenti non eſt neceſſe ad veritatem vtriuſque præmiſſæ vt ſint eædem vni tertio, v.g. hæc conſequentia, homo eſt iuſtus, homo eſt doctus ergo doctus eſt iuſtus mala eſt. Nam antecedens verificabitur pro diuerſis hominibus & conſequens erit falſum in caſu quo nullus homo doctus ſit iuſtus. Similiter ex puris negatiuis oſtẽditur nihil ſyllogiſtice poſſe colligi. Nam ex eo quod extremitates negentur de vno tertio non ſequitur negari de ſe inuicem v.g. ex his præmiſſis nullus homo eſt lapis, nullum inſenſibile eſt homo, nõ infertur ergo nullum inſenſibile eſt lapis. Nulla enim eſt connexio in antecedenti cum altera ſaltem extremitate.

Tertia regula. Si aliqua præmiſſarum fuerit particularis concluſio debet eſſe particularis. Ratio huius regulę eſt hoc fundamentum per ſe notum; nihil valet conſequentia à non

diſtributo ad diſtributū. Nā ex eo quod prædicatū cōueniat vni, nō ſequitur omnibus cōuenire pro quibus terminus accipitur. Hæc regula patitur exceptionē ſi admittatur particularis præmiſſa de nō vſitato modo loquēdi vt v.g. bene ſequitur equus eſt omne animal, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt equus & ratio eſt, quia illa particularis, equ⁹ eſt omne animal infert hāc vniuerſalē omne animal eſt equ⁹ quæ cum altera infert concluſionē in Barbara. Et huiuſmodi ſyllogiſmos irregulares dixerim quia non ſequuntur vſitatum modum loquendi neque communes regulas ſecundum formam; quanuis ſint reducibiles ad communem formam ſyllogiſmorum.

Quarta regula eſt. Si aliqua præmiſſarum fuerit negatiua concluſio debet eſſe negatiua. Hæc regula intelligenda eſt de pure negatiua. Nam ſi fuerit mixtæ copulæ talis quæ poſſit inferre ex eiſdem terminis vnam pure affirmatiuam habilem cum altera præmiſſa; non continget defectus huius regulæ, verbi gratia omnis homo eſt & non fuit albus riſibile eſt homo ergo riſibile eſt album. Bona conſequentia eſt & ſyllogiſtica quanuis ſecundum faciem poſsit dici irregularis.

Quinta regula. Medium non debet poni in concluſione Hæc intelligitur vt ſyllogiſticè inferatur concluſio. Nihilo minus moderni aiunt aliquādo licitum eſſe mediū intrare cō cluſionem ad euitandum aliquem defectum extrinſecum, v.g. ad euitandam variationem Appellationis in hoc ſyllogiſmo, omne album eſt diſgregatiuum viſus, omne dulce eſt album ergo omne dulce eſt diſgregatiuū viſus, licitū erit cō cludere ergo omne dulce eſt album quod eſt diſgregatiuum viſus. Sed profecto hæc exceptio & aduertentia non videtur nobis vtilis ad ſyllogiſtice concludendum, quanuis alias illa ſit bona conſequentia, quia totum antecedens in conſequenti repetitur & fortaſsis conuenientius adderetur in concluſione, aliquis terminus tranſcendentalis cum maiori extremitate, vt in hoc ſyllogiſmo in Darapti: omnis motus eſt actio, omnis motus eſt paſsio ergo paſsio eſt actio: committitur defectus extrinſecus ab identica ad formalem loquutionem, qui defectus eſt quaſi variatio Appellationis & poterit obuia-

obuiari si concludamus ergo passio est res quæ est actio. Et hæc doctrina vtilis erit ad syllogizandum in terminis diuinis vt in fine huius tractatus in gratiam Theologorum ostẽsuri sumus. Præter regulas præfixas aduertunt insuper Dialectici, quatuor conditiones generales & essentiales ad legitimum syllogismum necessarias.

Prima conditio est. Mediũ debet esse totale extremũ saltẽ in altera præmissa ratio desumitur ex illo per se noto fundamẽto, quia cõclusio syllogistica debet sequi ex vi connexionis medij cũ extremitatibus. Si autẽ in neutra præmissa mediũ fuerit totale extremũ, nõ cõnectetur cũ aliqua extremitate cũ nõ sit subiectũ, vel prædicatũ in quod resoluitur propositio, vnde cõstat nihil sequi ex vi cõnexionis vbi nulla est cõnexio. Sed contra arguit Sophista, hæc consequẽtia est syllogismus. Cuiuslibet hominis equus ambulat, & cuiuslibet hominis canis quiescit, ergo cuius canis quiescit equus ambulat. Et tamẽ mediũ quod est ille obliquus, hominis, in neutra præmissa est totale extremũ. Respondetur eã consequentiam nullatenus habere formã syllogismi. Nam in primis præmissæ cõstãt ex quatuor terminis, scilicet, hominis equus, & hominis canis, & ambulat, & quiescit. Deinde in cõclusione ponitur relatiuũ illud, cuius, quod nõ erat positum in antecedenti. Quo fit vt quanuis illã cõsequentia sit materialis, & in suis terminis nõ possit instari; tamen accipiendo alios quatuor terminos, aperietur eius malitia, v. g. quilibet equus hominis currit, & quilibet canis hominis quiescit ergo quiescẽs est currẽs. Itẽ ex parte cõclusionis instabitur eadẽ materialis cõsequentia si loco illius relatiui, cuius, posueris, cuius angeli, canis quiescit equus ambulat. Verũ est tamẽ quod per quandã æquiualentiam possumus ex illa materiali consequentia syllogismum producere. Vt si dicamus quilibet homo est ens cuiꝰ equus currit, & quilibet homo est ens cuius canis quiescit, ergo ens cuius canis quiescit est ens cuiꝰ equus currit, qui syllogismus tenet expresse in Darapti. Cuius sensus æquiualenter cõtinebatur in prioribus præmissis. Denique dicitur in illa conditione, medium debere esse totale extremum saltem in altera præmissarum, quia non est necesse in vtranque præmissa esse totale extremum. Est

Quatuor generales conditiones.

enim hic ſyllogiſmus in Darij,cuiuſlibet hominis equus eſt niger,riſibile eſt homo ergo riſibilis equus eſt niger. Secunda cõditio annexa ſuperiori:Id quod additur medio in præmiſſa in qua non eſt totale extremum,ſi illa præmiſſa fuerit maior,debet illud additum adijci minori extremitati in concluſione,vt in exemplo præcedenti patet.Si autem illud additum medio fuerit in minori præmiſſa,debet adijci in concluſione maiori extremitati. Eſt exẽplum omnis homo eſt animal,aliquod ſenſibile eſt equus hominis, ergo aliquod ſenſibile eſt equus animalis. Semperque minor extremitas debet concludi in eodem caſu grammaticali in quo erat medium in maiori:& maior extremitas viceuerſa debet concludi in eodem caſu in quo erat medium in minori vt patet in exemplis ſupra poſitis.Quorum ratio vltra communem ſenſum ſapientum ea poteſt aſsignari, quia cum concluſio debeat ſequi ex vi connexionis medij cum extremitatibus nõ debet in concluſione maior vnio & connexio ſignificari inter extremitates,quàm habuerint cum medio in præmiſsis. Sed quia medium cum illo addito in altera præmiſſarum vnitur alteri extremitati, neceſſe eſt quod alia extremitas eadem patiatur,quæ medio adiuncta ſunt reſpectu alterius extremitatis.Obſeruandum eſt tamen in huiuſmodi additis medio,ne varietur Appellatio inferendo concluſionem, vel alius defectus extrinſecus contra communes regulas Dialecticę.v.g.omnis homo eſt logicus, omne riſibile eſt magnus homo ergo omne riſibile eſt magnus logicus.Nihil valet cõſequentia quia variatur Appellatio. Sed aiunt concludendũ eſſe ergo omne riſibile eſt logicum quod eſt homo magnus, vbi medium intrat concluſionem,ne varietur Appellatio.

Tertia conditio maxime intrinſeca eſt,vt medium complete diſtribuatur.Quæ conditio ſecum affert rationem ex viſceribus ſyllogiſmi deſumptam.Nam ſi ex puris particularibus nihil ſequitur,quia non fit debita connexio medij cũ extremitatibus;multo minus poterit concludi extremitatũ identitas,vel ſeparatio,ſi medium in præmiſsis non complectitur ea omnia ſuppoſita pro quibus iuxta exigentiam copulæ ſupponit, vel de quibus verificatur. Et confirmatur, Quoniam alias non poſſet ſyllogiſmus aliqua via reduci ad prin-

principia illã notiſsima in quibus fundatur ars ſyllogiſtica, ſcilicet ad Dici de omni, vel Dici de nullo. Etenim in via reductionis fieret argumentatio à non diſtributo ad diſtributum; ſiquidem medium in quatuor primis modis ſyllogizan di perfectis ſemper diſtribuitur. Notandum vero eſt circa hanc conditionem, primò quidem non eſſe neceſſarium vt medium in vtraque præmiſſa diſtribuatur: vt patet in Darij & Ferio, ſed ſufficit vt in altera præmiſſa complete diſtribuatur: propter cuius defectum hæc conſequentia mala eſt. Omne animal fuit in arca Noe, Petrus eſt animal, ergo Petrus fuit in arca Noe. Quia in maiori medium diſtribuitur in complete non pro ſingulis ſuppoſitis animalis quæ ſunt, vel fuerunt, ſed pro generibus ſingulorum, vt aiunt, videlicet, pro ſingulis ſpeciebus animalis. Si autem velis medium in maiori complete diſtribui pro ſingulis indiuiduis generũ & ſpecierum, bona erit conſequentia & ſyllogiſtica. Deinde etiam aduerte, quod quando medium eſt complexum cuius vna pars cõplete diſtribuitur in vna præmiſſa & altera pars non diſtribuitur in eadem, ſufficiet ſi complete diſtribuatur in altera, verbi gratia. Hic ſyllogiſmus eſt in Barbara cu[illegible]iuſlibet hominis equus currit, omne hinnibile eſt hominis quilibet equus, ergo omne hinnibile currit. Vbi vides medium eſſe complexum, hominis equus, acceptum pluribu[illegible] acceptionibus cuius ſingulæ partes ſeorſum [illegible]ibutę ſunt. Si autem complexum illud ex recto & o[illegible]io ſumeretur vnica acceptione, ſufficienter diſtribueretu[illegible] ca diſtributione determinabilis recti: verbi gratia in hoc ſyllogiſmo Quilibet equus hominis currit, omne hinnibile eſt equus hominis, non opus eſt in minori diſtribuere obliquũ hominis, ſed ſtatim poteris inferre ergo omne hinnibile currit. Tunc enim vt in ſuperioribus dictum eſt, rectus & obliquus reputantur vt vnus terminus compoſitus ex ſubſtantiuo & adiectiuo. Vt ſi diceres omnis homo albus currit Petrus eſt homo albus ergo Petrus currit, vbi non opus eſt diſtribuere immediate adiectiuũ albus. De qua re ſatis diximus lib.4. circa legitimam conſtitutionem contradictoriarum.

Notant tertio moderni quod quando medium eſt aliquod copulatũ cuius vna pars diſtribuitur in vna præmiſſa, & al-

& altera pars distribuitur in altera præmissa, tūc cauēdū, est ne illa pars quæ distribuebatur in priore præmissa, maneat confuse in altera præmissa respectu distributionis alterius partis. Sed profecto hæc cautela in propositionibus de vsitato modo loquendi superflua est. Non enim poterit talis defectus inueniri, verbi gratia in hoc syllogismo, omnis homo & equus sunt animalia homo & omnis equus sunt alba, ergo alba sunt animalia, optime concluditur in Darapti. Similiter in Barbara, si in minori dicas omnia alba sunt homo & omnis equus, ergo omnia alba sunt animalia: bonus syllogismus est, non obstante quòd prior pars complexi in minori supponat confuse respectu minoris extremitatis: quia illa confusio non est respectu alterius partis cōplexi.

Si autem licitum sit in minori permutare partes copulati, In hac forma, omnia alba sunt omnis equus & homo; Tunc esset defectus intrinsecus reddens inhabiles præmissas. Et instaretur consequentiæ in simili forma, verbi gratia omnis homo & album est animal, omnia risibilia sunt omne album & homo, ergo omnia risibilia sunt animal, antecedens erit verum & consequens falsum in casu in quo sint tantum duo homines & vterque albus. Iam maior est vera omnis homo & album est animal, nā facta resolutione per singulares termini distributi, quamlibet singula[illegible] inuenies veram. Nam in singulis manet album determi[illegible]te, & poteris ostendere idem suppositum ho[illegible]ngularizatum, similiter & minor vera est, nam singularizato subiecto poteris rursus singularizare partem distributam copulati; scilicet, omne album, & inuenies omnes singulares veras. Nam tunc manebit determinate homo & ostendes alterum hominem distinctum à supposito albi iam singularizato. Consequens autem satis falsum apparet. Et in eodem casu instabitur paralogismus constitutus secundum apparentiam in Celarent, verbi gratia omnis homo & album non sunt animalia omnia risibilia, sunt omne albū & homo ergo omnia risibilia non sunt animalia, vbi vides conclusionem apertè falsam: præmissas autem probabis veras, si processeris iuxta regulas inductionis singularizando singulas partes copulati. Et hoc non alia ratione nisi quia permu

tatio-

tatione partium copulati, efficitur vt pars distributa in maiori maneat confuse in ordine ad alteram partem distributam in minori. Quòd si in minori non fieret talis permutatio partium: sed diceres, omnia risibilia sunt homo & omne album, esset legitimus syllogismus. Et in casu posito minor esset falsa vt cōperies ministerio inductionis aut descensus.

Quarta conditio etiam est intrinseca ad debitam dispositionem præmissarum, videlicet, quod medium non accipiatur magis ample vbi non distribuitur, quàm vbi distribuitur, verbi gratia omne album est equus omnis homo posibiliter est albus ergo homo posibiliter est equus. Paralogismus est: quia medium, vbi non distribuitur, tenetur magis ample. Et ratio huius conditionis est, quoniam alias mediū sua distributione non attingit ad supposita pro quibus accipitur in minori, & perinde est, ac si non distribueretur. Et aduerte hanc cōditionem extendi ad minorem restrictionem: vel, minorem Appellationem, vel formalitatem vbi mediū non distribuitur quam vbi distribuitur. Semper enim cauendum est ne medium vbi non distribuitur, euadat distributionem quam habet in altera præmissa. Tunc enim frustra est distributio quia non attingit vnionem alterius extremitatis cum medio. Et hæc aduertentia etiam est necessaria ad soluenda sophismata, quæ fiunt in materia de mysterio Trinitatis.

Quinta conditio etiam intrinseca est vt medium non teneatur, magis ample aut minus restricte aut minus formaliter in præmissa affirmatiua, quàm in negatiua, verbi gratia omne album posibiliter est nigrum, nullus homo est niger, ergo nullus homo est albus, vel nullus homo posibiliter est albus, vbi antecedēs est verū & consequens falsum in casu in quo omnes homines sint albi, vel non sint homines in mundo. Ratio huius cōditionis eadē fere est, quæ illius regulæ ex puris negatiuis nihil sequitur, etenim conclusio debet sequi ex cōnexione medij saltē cum altera extremitate vt inde inferatur conclusio negatiua, in qua vtraque extremitas ab altera separatur propterea quod altera fuit separata à medio quod cum altera affirmatione coniungebatur. Si autem extremitas quæ coniūgebatur cū medio in affirmatiua, connectebatur cum illo secundum eius maiorē ampliationē,

non inde colligitur, quòd ea extremitas negetur de alterâ extremitate, De qua medium negabatur cum maiore reſtrictione, vt patet in exemplo poſito. Sed quia poteſt aliquis obijcere in illo exemplo alium defectum committi: quia medium, vbi non diſtribuitur, tenetur magis amplè quàm vbi diſtribuitur: & propterea dari antecedens verum & conſequens falſum. Reſpondetur, vtrumque defectum illic concurrere. Nihilominus afferamus aliud exemplum, vbi ſolus defectus quintæ conditionis nocet, verbi gratia in Bocardo, creans non eſt Deus, omne creans poſsibiliter eſt Deus ſunt inhabiles præmiſſæ, nam concluſio erit impoſsibilis, ſiue inferas ergo Deus non eſt Deus, ſiue inferas ergo Deus poſsibiliter non eſt Deus, Maior autem nunc eſt vera quia Deus modo non creat ergo vera eſt illa negatiua de ſubiecto non ſupponente, creans non eſt Deus. Minor autem illa vniuerſalis vera eſt, nã creans ſupponit pro poſsibili creante, quod non ſolum poſsibiliter ſed etiam neceſſario eſt Deus. Hactenus de generalibus conditionibus dicta ſufficiant, in quibus poteris omnes defectus intrinſecos intueri ne decipiaris ſophiſticis paralogiſmis. Simul etiam intelliges illa requiſita, quæ initio huius capitis quaſi in epilogo ſummarie vt memoriæ commendarentur, propoſita ſunt. Nihil enim aliud egimus quàm ea requiſita examinare & eorum rationem reddere.

Caput

Caput nonum, In quo notantur defectus extrinseci qui solent contingere circa conclusionem, Et de syllogismo expositorio.



ELIQVVM est eos etiam defectus cōmemorare qui non contingunt circa connexionem medij cum extremitatibus in præmissis. Sed quia non infertur legitima conclusio ex præmissis bene dispositis, sed altera sophisticè quasi adulterina substituitur. Et isti defectus merito appellantur extrinseci, quia non habent originem in præmissis, sed ex ignorantia aut malitia sophisticè concludentis.

Sunt autem huiusmodi defectus plures quàm requisita in præmissis. Nam deficere pluribus modis contingit, quàm regulæ conformari. Quocirca non opus erit commemorare defectus illos, qui in alijs locis argumentandi solent contingere. Sed eorum duntaxat mentionem faciemus qui proprij sunt in materia syllogismorum. Primus est si aliqua præmissarum existente negatiua, conclusio fit affirmatiua. Secūdus est, si existente vtraque præmissa affirmatiua, conclusio fit negatiua. Tertius si medium intret conclusionem, hoc enim est contra artem syllogizandi, quæ fundatur in illo notissimo principio. Quæcūq; sunt eadē vni tertio, sunt eadē inter se. Vnde superfluè inculcatur mediū in cōclusione, quod iā suū munus impleuit in præmissis. Hic tamē defectus nō destruit veritatē cōclusionis, sed efficit inutilē repetitionē. Verum est tamen aliquos curiosos Dialecticos afferre instantiam contra ponentes medium in conclusione, quia loco illius potest substitui alius terminus disparatus. Contendunt enim per hoc non destrui neque variari similitudinem formæ, quia ars syllogistica non postulat, imo vetat medium intrare conclusionem. Vnde quia illic non ponitur medium vt medium est, sed vt aliquid superfluum, pari ratione poteris adijcere loco illius alium terminum extraneum ex quo red-

ditur falſa concluſio. Sunt & alij defectus ſpeciales ſingularum figurarum iuxta proprias conditiones vnius cuiuſuis figuræ. Quorum commemoratio nihil vtilitatis tibi affert. Nam omnes illæ facile reducuntur ad defectus eorum quæ requiſita ſunt, quæ ſupra retulimus, vel ad cõmunes defectus aliarum conſequentiarum. v. g. quia medium non diſtribuitur complete vel quia fit argumentatio à non diſtributo ad diſtributum, vel ab amplo ad non amplum, aut vice verſa non iuxta regulas de ampliatione ſupra poſitas: Vel quia variatur appellatio, vel quia fit diſcurſus à ſuppoſitione perſonali ad ſimplicem aut vice verſa, vel à ſenſu diuiſo ad compoſitum, vel denique erit mala conſequentia propter aliquem defectum, cui poteris occurrere documentis & regulis in alijs materijs à nobis datis. Neque timeas ſophiſticas fallacias ſi frequẽter in requiſitis ad legitimum ſyllogiſmum meditatus & exercitatus fueris.

Quid ſyllogiſmus expoſitorius.

Tandem in hoc capite nono ad complementum doctrinæ de arte ſyllogizandi, etiam de ſyllogiſmo expoſitorio aliqua aduertere neceſſe eſt. In primis quid ſit ſyllogiſmus expoſitorius dicamus: & quã ob cauſam nõ ſit eius facta mẽtio in diſtinctione figurarum & modorum. Syllogiſmus expoſitorius eſt ſyllogiſmus habens medium ſingulare. Vt. Petrus currit, & Petrus eſt animal, ergo animal currit. Hic homo eſt Hiſpanus, & hic homo eſt magiſter ergo magiſter eſt Hiſpanus. Dicitur autem expoſitorius ſyllogiſmus, vt ait D. Tho. opuſculo 47. quia eſt quædam ſenſibilis reſolutio eorum quæ in communi dicuntur. Nam omnis ſyllogiſmus de medio communi innititur diffinitioni propoſitionis vniuerſalis: ſiquidem omnis ille ſyllogiſmus regulatur mediate vel immediate per illud principium Dici de omni, vel, Dici de nullo. Propoſitio vero vniuerſalis explicatur per ſingularia quæ ſenſu percipiuntur. Quam obrem ſyllogiſmus de medio ſingulari merito expoſitorius appellatur. Exponit enim diſtincte quod in vniuerſali continetur. Præterea cum omnis ſyllogiſmus ex connexione medij cum extremitatibus vel ſaltem ex connexione medij cum altera extremitate inferat connexionem extremitatum inter ſe vel ſeparationem; fundetur in illo principio; Quæcunque

ſunt

sunt eadem vni tertio, sunt eadem interse, vel quæcunque quorum vnum est idem vni tertio cui alterum est diuersum, sunt diuersa interse; hoc autem principium multo distinctius exercetur quando medium est singulare, quam cum est commune, idcirco merito syllogismus expositorius dicitur: nam eo mediante exponitur magis ad sensum illud principium, quàm in syllogismo de medio communi quantunlibet distributo, nam & ipsa distributio confusio quædam multorum est: Quæ singulatim dicta apertius intelliguntur, & ob hanc causam non fuit necessarium inter distinctionem figurarum & modorum syllogismi expositorij mentionem facere, in quo nulla specialis difficultas syllogizanti poterat occurrere præter eas difficultates quæ in alijs syllogismis regulis & documentis comprehensæ sunt. At syllogismus expositorius necessitatem colligendi per se notam & perspicuam habet, ac proinde maxime perfectus est: quia constat medio termino singulari & proxime exercet id quod illa principia per se euidentia continent. Nota secũdo omnes conditiones essentiales & generales seruandas esse in syllogismo expositorio præter eas quæ concernunt distributionem & vniuersalitatem medij: quoniam huiusmodi nõ habẽt locũ in termino singulari qui est incapax distributionis aut confusionis. Neque opus est, ea requisita quæ supra numerauimus ad legitimum syllogismum recensere. Hoc tamen vnum obseruandum est, syllogismum expositorium magis commode constitui in tertia figura quam in prima vel secunda, & ratio est, quia termino singulari proprium est vt de illo alia prædicentur, (vt aduertimus supra ex Aristotele) ipse vero indirecte & insitate locũ prædicati tenet. Sed quia indirecta prædicatio non eo ipso efficit falsam propositionẽ, poterit permitti vt syllogismus expositorius fiat in qualibet figura. v.g. Omnis homo est Petrus, nullus equus est Petrus, ergo nullus equus est homo est in secũda figura, imo & in Camestres. Similiter in prima figura Petrus non est equus omne albũ est Petrus ergo nullũ album est equus, est in prima figura & reducitur ad Celarẽt, sicut etiã potest reduci ad Barbara, Petrus est albus, omnis homo est Petrꝰ ergo omnis homo est albus,

nam

nam maior in vtroque syllogismo quamuis non sit vniuersalis tamen est quasi de omni, vel quasi de nullo. Nam prædicatum de omni supposito subiecti affirmatur vel negatur. Nõ enim subiectum habet nisi vnicum suppositum.

Sed cõtra hoc arguitur. Hic syllogismus est expositorius hoc animal est homo & hoc animal est equus, ergo equus est homo, & tamen antecedens est verum si in maiore demonstretur Petrus & in minore Brunellus & consequẽs euidenter falsum. Ad hoc argumentum mirabilia dicunt Moderni, quidam aiunt subiectum vtriusque præmissæ esse duntaxat animal, neque enim pronomen, hoc, demonstratiuũ arbitrantur esse partem subiecti: sicut neque signũ distributiuũ, omnis, est pars subiecti, cum dicimus, omnis homo currit. Alij vero aiunt illud pronomen esse partem subiecti, sed nihilominus vniuocè & communiter potest demonstrare diuersa supposita. Vnde neque isti, neque illi assignant defectum æquiuocationis medij: & nihilominus negant esse legitimum syllogismum expositorium, quia medium accipitur pro diuersis suppositis. Sed iudicio meo vtrique falluntur. Nam, hoc animal, terminus singularis est non cõmunis, alias capax esset distributionis, & liceret dicere nullum hoc animal currit & omne hoc animal est sensibile. Nos igitur negamus esse syllogismum expositorium quia re vera medium tenetur æquiuoce. Quanuis enim, animal, terminus sit communis; tamen restringitur à pronomine demonstratiuo, cuius virtute conceptus communis animalis determinatur ad phantasma singulare Petri, ita vt secundum illam acceptionem singulariter supponat non minus quam in ista, animal Petrus. Neque etiam probabile existimo, reperiri in mente aliquem conceptum communem, vel aliquod syncathegorema mentale commune demonstratiuum singularis suppositi. Et probatur: nam si conceptus ille vel modus syncathegorematicus communis esset omnibus singularibus demonstrabilibus: non haberet per quid determinaretur magis ad demonstrandũ Petrũ quam Brunellum; aut certe ille actus demõstrandi Petrum, esset syncthegorema superueniens & exercens demõstrationem, ac proinde aliud syncathegorema commune super-

persluum esset. Dicendum igitur est, quòd quanuis pronomina demonstratiua secundum vocem semel sint imposita, vt vtamur eis quotiescunque voluerimus designare rem aliquam singularem siue sit substantia siue accidens siue totum siue pars, vt hic homo, hæc albedo, hæc manus; tamen nulla ratione potest dari conceptus vel notitia communis ad demonstrandum singularia. Confirmatur quia in hoc differt signum particularizatiuum, vt cum dicimus, aliquis homo est albus: quia tale signum communitatem habet in suo modo significandi. Denotat enim prædicatum conuenire subiecto vel negari à subiecto pro aliquo supposito indifferēter. Vt cum dicimus aliquis homo currit, insinuamus actionem currendi non solum indefinitè homini in communi, sed supposito humano conuenire, & cum dicimus, aliquis homo nō est species, conuertimus suppositionem simplicem, quæ sine illo signo conueniret subiecto, in personalem. At vero pronomen demonstratiuum omnino singularizat communem terminum cui adiungitur. Quapropter non potest esse aliqua notitia vel actus intellectus communis ad singularizandum conceptum communem cathegorematicum: sed necesse erit intellectum in huiusmodi singularizatione reflecti super singulare phantasma, vt singulare singulariter agnoscat. Sed hoc excedit Summulistarum capacitatem. Sufficiet autem eis negare illum syllogismum expositorium, quia committitur defectus intrinsecus æquiuocationis medij quod est totum illud, hoc animal, cui voci non respondet in mente idem conceptus sed duplex conceptus vterque singularis. Multiplicant præterea sophistæ argumenta contra syllogismum expositorium, nunc accipientes medium materialiter in vna præmissa & personaliter in alia, nunc adiungentes termino singulari alios terminos communes vel habentes æquiuocationem vel differentem appellationem; sed omnia illa sophismata ridicula sunt & nihil vtilitatis afferunt, & idcirco à nobis prætermittuntur. quę vtinam in eis quæ diximus præceptores minoris Dialecticæ discipulorum ingenia diligenter exerceant. Quæ vero deinceps sequuntur in gratiam Theologorū scribere non modicum operæpretium erit.

Frequens exercitiū necessarium.

Caput decimum De arte syllogizandi in terminis diuinis.



RIVM officium aliqui Theologorum, qui de Dialecticis institutionibus scripserunt, se præstitisse sunt arbitratudum specialia documenta caute syllogizandi in terminis diuinis ad mysterium Trinitatis pertinentibus, tradiderunt. Quamobrem nos etiam hoc in loco illorum zelum imitantes potius quam illorum documenta, tentabimus Dei auxilio ostendere, communia præcepta de syllogismis data facile accommodari posse ad legitime syllogizandum & ad contraria sophismata circa mysterium Trinitatis dissoluenda. Id quo l vt facilius ostendam sequentem quæstionem proponere & discutere libet.

QVAESTIO.

QVæro igitur Vtrum sint necessaria ad syllogizandum in terminis diuinis incomprehensibilis mysterij sancti[ssi]mæ Trinitatis, noua & specialia documenta præter ea q[uæ] naturali lumine à Philosopho tradita & à Philosophis [ac]ceptata sunt.

[Pro par]te affirmatiua arguitur primo. Hæc consequentia, omnis essentia diuina est pater, filius est essentia diuina, ergo filius est pater, iuxta communes leges suprapositas videtur syllogismus in Darij & tamen antecedens est veritas catholica & consequens est hæresis ergo necessaria sunt specialia documenta artis syllogizandi in mysterio Trinitatis. Arguitur secundo. Hæc cōsequentia, Pater generat filium, & pater est essentia diuina ergo essentia diuina generat filium, secundum communes regulas videtur syllogismus expositorius (nam hic terminus, Pater, in diuinis est singulare nomen personæ) & tamen antecedens est catolicum & consequens hæreticum & expresse damnatum ergo, &c. Arguitur tertio. Hæc consequentia. Hic Deus est generans &

hic

hic Deus est genitus, ergo genitus est generans, videtur etiā iuxta communem artem syllogizandi expositorius syllogismus, nam medium, hic Deus, singularis terminus est, sicut & ipse Deus est vnicus singularissimus, & tamen Catholici antecedens confitemur & consequens vt hæreticum detestamur ergo, &c. Arguitur quarto. Nā hęc cōsequētia filius nō generat, & filius est Deus: ergo Deus nō generat, similiter & hæc, Pater nō est genitus & Pater est Deus ergo Deus non est genitus, similiter & hæc, Spiritus sanctus nō spirat; Spiritus sanctus est Deus ergo Deus, non spirat, similiter & hæc, hic Deus spirat; & hic Deus est spiratus, ergo spiratus spirat, & plures aliæ similes postulant specialem modum respondendi vltra communes leges supra positas ergo specialis ars syllogizādi in diuinis necessaria est. Sed in oppositū est nam mysteria fidei catholicæ non debent repugnare principijs cognitis lumine naturali, sed ars syllogizandi fundatur in principijs immediate cognitis lumine naturali, qualia sunt dici de omni & dici de nullo, & quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, & quæcunque ita se habent, quod vnum est idem vni tertio, à quo alterum diuersificatur, etiam sunt diuersa inter se, ergo documenta & regulæ syllogizandi etiam in diuinis terminis locum habent.

Pro intelligentia huius difficultatis aduertat primo Christianus Dialecticus ad Theologum pertinere, non quidem demōstrare mysterium Trinitatis esse po[illegible] si hoc ostenderetur etiam demonstraretur hoc mysterium ita esse sicut fides docet. (Quia in perpetuis idem est esse & posse) implicat cōtradictionē hoc misteriū demōstrari, nam sciētia & fides nō possunt esse de eodē in eodē subiecto. Cū fides sit credere quod nō vides. Sed munus propriū Theologi est dissoluere gētiliū & hæreticorū argumēta quę obijciūtur aduersus fidei mysteria. Argumēta vero quæ cōtra fidē obijciūtur, necesse est esse solubilia, si quidē cōtra veritatem nulla ratio efficax afferri potest: tametsi imperitus theologus aliquando nesciat contrariorum obiectiones dissoluere.

Nota secundo huiusmodi argumenta aliquādo procedere ex mala intelligentia scientiæ physicæ vel metaphysicæ aut alterius scientiæ, quæ agit de ente reali. Aliquando ve-

ro imò

ro imo frequentissime hæretici errant ex ignorantia Dialecticæ, quam D. Augustinus vocat scientiam consequentiarum, ad quam recurrendum esse ait quando negatur alicuius ratiocinationis consequentia, Sit exemplum prioris modi errandi, fides catholica docet Deum initio temporis vtramque de nihilo condidisse creaturam, totumque vniuersum non abæterno fuisse, sed ex tempore incepisse, Aristoteles verò vehementer errauit putans se demonstrasse, vniuersum abæterno fuisse neque initium temporis habere potuisse. Qui quidem ex omnimoda immutabilitate Dei & ex mala intelligentia illius Maximæ videlicet, causa totalis semper eodem modo & necessario immutabiliter existenti idem effectus omnino sequitur, sic male ratiocinabatur. Prima causa qui est Deus non potest neque potuit aliter se habere quam se habet, ergo semper eiusdem effectus est causa, ac proinde non fuit possibile mundum incepisse cum tempore. Alias in Deo posset esse aliqua mutabilitas, ita vt aliter se haberet si mundum non creasset, quam modo se habeat. Sed vehementer errauit, volens sua maxima, quæ ex creatis & finitis causis colligebatur, primam & infinitæ potentiæ causam comprehendere. Cũ enim Deus demonstretur esse purus actus ac proinde infinitus in suo esse, habet etiam infinitum modum causandi per liberum arbitrium absque aliqua indifferentia possibili intrinsece in ipso Dei libero arbitrio. Quod non intelligentes multi Philosophorum, quidam liberi arbitrij facultatem negauerunt esse in Deo quam hominibus concesserunt, quidã vero omnia ex necessitate fati euenire, asseuerauerunt. Alij in alios errores inciderunt, quia proprio iudicio omnia cõprehendere attentarunt. Fides autem catholica quæ non destruit sed perficit naturam docet Christianos Philosophos recte de Deo naturæ autore sentire, neque plus sapere quam oportet sapere, sed sapere, ad sobrietatem. Velle autẽ ipsum Deum, etiam vt naturæ autorẽ, quantum ad rationem & modum causandi omnino comprehẽdere, non sobrietas sed potius ebrietas appellanda est. Cæterum studio veræ sapientiæ ex creaturarum cognitione, Deum esse & primam omnium rerum causam esse, colligere, sobrietas est, dummodo qui

qui sic philosophatur intra metã sui finiti intellectus se contineat & nolit etiam naturæ autorem in modo causandi omnino comprehendere. Hæc breuiter non abs re commemoraui intendens in locutionibus mysterij sanctissimæ Trinitatis & prædestinationis & gratiæ piam modestiam nouitios Theologos edocere. Sed iam ad nostrum institutum veniamus.

Ad quæstionem propositam vnica conclusione respondetur. Non opus est Catholico Theologo ad syllogizandum in terminis diuinis neque ad dissoluendum paralogismos qui contra mysterium Trinitatis fieri possunt, noua Dialectica: sed sufficit ea quæ naturali lumine inuenta est. Hæc conclusio nõ aliter comprobatur, quam soluendo argumẽta in principio huius quæstionis proposita.

Obseruandum est autem duplici via prædicta argumenta posse dissolui à Theologis. Prima via communis est, quam sequitur Doctissimus Magister Soto ac præceptor noster in tractatu de terminis diuinis libro quinto suarum Summularum. Pro cuius intelligentia notat ex aliorum opinione terminos diuinos esse in triplici differentia. Alij sunt essentiales, alij personales, & alij notionales. Terminus essentialis vt aiunt, est terminus qui supponit pro essentia & qualibet persona diuisim, vt hoc nomen, essentia, hoc nomen, Deus, Terminus personalis est qui pro vna persona diuisim supponit, non tamen coniunctim pro pluribus, vt hoc nomen, persona, hoc nomen, Pater. Sed terminum notionalem dicunt esse, qui pro pluribus personis coniunctim supponit, non tamen diuisim, vt hoc nomen Trinitas, hoc nomen, personæ; in numero plurali? At vero ij Dialectici terminis abutuntur contra eorum significationem & vsum loquendi Theologorum. Nam in primis confundunt terminos. Aut enim requiritur, vt terminus sit essentialis, quod supponat immediate pro essentia & persona; & sic hoc nomen, essentia, non esset essentialis, quia non supponit immediate pro persona. Aut satis est, quod supponat pro essentia & persona siue immediate siue mediate, & sic hoc nomen, Pater, esset essentiale & hoc nomen essentia esset personale. Deinde contra rationem est

aſſerere hoc nomen, perſona, in numero ſingulari eſſe perſonale & perſonæ in plurali eſſe notionale. Et præterea dicere hoc nomen, Trinitas, & perſonæ, in plurali eſſe notionalia, eſt contra communem ſenſum theologorum in 1. ſententi. diſtinct. 28. & 29. & contra D. Thom. 1. p. quæſt. 32. Notio enim eſt ratio innoteſcendi ſiue cognoſcendi diuinā perſonam, quatenus ab alia diſtinguitur, vt inquit Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 7. Alia eſt notio qua pater intelligitur ingenitus; & alia qua intelligitur genitor. Vnde quinque notiones duntaxat ſunt in diuinis, ſcilicet, innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Proceſsio, & Spiratio, ergo nomen, Trinitas, quod pro tribus perſonis ſupponit non eſt notionale. Multo ergo melius nomen eſſentiale in diuinis dicitur eſſe, quod perſe & immediate & formaliter eſſentiam ſignificat ſiue in abſtracto vt eſſentia, Deitas, bonitas; ſiue in concreto vt, ens, Deus, bonus, iuſtus. Nomen autem perſonale eſt quod perſe & immediate ſignificat perſonam, vt Pater, Filius, Spiritus ſanctus, & perſona & perſonæ, in plurali, & Trinitas quod eſt nomen perſonale collectiuum. Tandem notionale nomen eſt quod ſignificat notionem per modum actionis vel paſsionis, vt generare, generari, generans & genitus. Errant præterea moderniores illi Dialectici opinantes nomen eſſentiale in abſtracto non ſolum ſupponere pro eſſentia immediate, ſed etiam mediate pro perſona. Neque enim diſtinguunt inter verificari terminū de aliquo & ſupponere pro illo. Et conſequenter aiunt, nomen eſſentiale in abſtracto poſſe dupliciter diſtribui vel particularizari. Vno modo complete, alio modo incomplete. Complete quidem diſtribuitur pro ſignificato mediato & immediato: incomplete vero, quando ſolum diſtribuitur pro ſignificato immediato. Et multa alia dicunt, quæ vel recenſere pudet. Inueniunt enim modū ſua falſa Dialectica, quomodo hæc propoſitio eſt falſa: omnis eſſentia diuina eſt Pater, & hæc ſit vera, aliqua eſſentia diuina non eſt Pater. Nam ſi in vniuerſali diſtribuatur complete nomen, eſſentia, accipitur etiam pro perſonis, & ſic eſt falſa: quia non omnis perſona eſt Pater. Et in negatiua dicunt nomen eſſentia particularizari pro aliqua perſona quæ non eſt Pater. Sed valeant hi Doctores,

qui

qui non solùm ignorant propriũ modum loquendi,sed periculose & temerarie loquũtur. Cũ enim in diuinis non sit nisi vnica simplicissima & singularissima essentia,idem est dicere,essentia diuina est Pater,& omnis essentia diuina est Pater. Contra quos vehementer inuehitur præfatus magister noster Soto. Nos vero D,Thomæ doctrinam per omnia sequẽtes in 1.p.q.39.art.3.4.5.6. negamus nomẽ essentiale in abstracto posse supponere pro persona, & nomẽ personale supponere pro essentia; quanuis vtrunq; nomẽ verificetur de alterius significato,dicimus enim Pater est essentia, & essentia est Pater propter identitatẽ essentiæ cum Patre, non tamen idcirco,cõcedimus nomen,essentia,accipi pro Patre, vel Pater pro essentia. Cum enim voces sua significata mediantibus conceptibus repræsentent, nihil aliud significant quam quod in conceptu repræsentatur secundum modum significandi ipsius conceptus, & quia cum aliquis conceptus repræsentat aliquam naturam in abstracto, non repræsentat habentem illam naturam,neque immediate neq; mediate,ac proinde neq; potest supponere pro habẽte naturã. Nã suppositio non solùm est verificatio de aliqua rẽ,sed est acceptio termini pro re quam significat. Vnde si terminus nõ significat aliquã rem non poterit pro illa accipi nec supponere:quanuis possit verificari. Terminus enim qui supponit pro aliqua re,ponitur vice illius à denunciandum de illa re actiones vel passiones tali rei conuenientes. Quemadmodum vtimur hoc termino,homo, ad enũciandum de illo actionem vel passionem significatam per verbũ. Vt homo ambulat,homo disputat: & quanuis materia & forma hominis non different realiter ab homine,tamen quia in abstracto significant humanæ naturæ partes, non dicimus materia & forma currit,vel humanitas currit, quoniam actiones & passiones sunt suppositorum, abstracta vero nullo modo significant supposita, licet propter identitatem rei de illis aliquando verificentur. Et eadem est ratio de nomine significante suppositum in concreto, siue significante naturam in concreto: vt hoc nomen Deus, siue significante proprietatem personæ, vt hoc nomen, Pater. Neutrum enim poterit supponere pro essentia in abstracto: quanuis

de illa verificetur. Notandum est secundo in Trinitatis sacratissimo mysterio, hanc quasi maximam propositionem à catholicis amplectendam esse. In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Circa quam maximam intendimus explicare, quo pacto non repugnet principijs Dialecticæ quæ naturali lumine nota sunt. Id quod non aliter efficiemus quàm soluendo argumenta contrariorum assignantes communes defectus, qui in malis consequentijs quæ fieri solent in materia physica aut metaphysica assignari solent: quibus abunde fit satis iuxta documenta Dialectica: etiam dissoluemus paralogismos, qui fiunt in locutionibus de mysterijs fidei Catholicæ. Nunc igitur ad argumenta, quæ in principio huius quæstionis proposita sunt respondeamus. Ad primum argumentum, communis via Modernorum est negare, illum esse syllogismum in Darij; quia intrinsecum defectum habet in medio quod non distribuitur complete. Nam vt complete distribueretur deberet distribui pro omni re quæ est essentia diuina: & sic esset falsa maior: quia fieret sensus, omnis res quæ est essentia diuina est Pater, vbi licitum esset demonstrare sub illa distributione Filium, aut Spiritum sanctum. Sed profecto hic modus respondendi nunquam mihi placuit etiam ab adolescentia. Cùm enim syncathegorema, omnis, ex modo suæ significationis habeat distribuere terminum cui adiungitur pro omni suo significato pro quo accipitur iuxta exigentiam copulæ, non video qua ratione non distribuat, essentiam diuinam, pro omni suo significato pro quo supponit vel accipitur. Neque video quomodo satis fiat gentili argumentanti contra nostram fidem, & volenti probare esse contra principium lumine naturali cognitum; Dici de omni; quod exercetur in hac consequentia; omnis Deitas est Pater, & Filius est Deitas, ergo Filius est Pater. Non enim intelliget, quomodo nomen Deitas, non distribuatur complete: sicut humanitas distribuitur complete in hac, omnis humanitas est composita ex materia & forma. Denique hunc modum respondendi non inuenio in Diuo Thoma. Nos vero in illo paralogismo non assignamus defectum intrinsecum: quin potius asserimus medium distri-

bui

bui pro omni suo significato pro quo accipitur. Neq; enim concedimus naturam in abstracto significare personas, sicut neque nomen personæ significat essentiam in abstracto, quanuis ad inuicem verificentur. Assignamus autem defectum extrinsecum, quem Diuus Thomas appellat fallaciam dictionis, quia mutatur quid in aliquid. Nos autem hunc defectum ab identica ad formalem locutionem nominamus. Et insuper proferimus simile exemplum in physicis. Nam hæc consequentia apud Philosophum non valet, omnis motus physicus est passio & omnis motus physicus est actio, ergo actio est passio. Non quia medium non distribuatur complete, sed quia fit argumentatio ab identica ad formalem. Nam maior & minor verificantur in sensu identico: conclusio vero importat oppositas relationes in vtroque extremo. Et fit sensus quòd qua ratione actio comparatur ad agentem, comparatur etiam ad passum. Quod falsissimum est. Nam alia est relatio motus ad agentem, alia ad patientem, quanuis secundum significationem huius termini, motus, indifferens sit vt possit verificari de actione vel passione, etiam si non significet determinate actionem neque determinate passionem. Respondebit itaque Catholicus Gentili; sicut tu negas præfatam consequentiam, quæ videbatur esse in Darij, ita ego nego tuam consequentiam propter similem defectum. Docet enim nos fides nostra, tres personas diuinas constitui & ad inuicem differre solis relationibus realibus, quæ fundantur in processione vnius personæ ab altera. Et hic modus respondendi fundatur in doctrina D. Thomæ, vbi supra negantis expresse, naturam diuinam in abstracto supponere pro personis, vel vice versa nomina personalia in concreto neque in abstracto supponere pro natura in abstracto quanuis ad inuicem verificentur, quia non obuiat relationis oppositio. Tenemus itaque completissimam esse distributionem cuiuslibet termini si distribuatur pro omni illo pro quo supponit. Neque vero supponit vel accipitur nisi pro illo quod significat. Et eadem est ratio de hoc syllogismo expositorio, hæc essentia est pater, & hæc essentia est Filius, ergo Filius est Pater. Nõ enim est legitimus: nam habet defectum extrinsecum quia,

mutatur quid in aliquid, vel quia fit argumentum ab identica ad formalem, seu à minus formali ad magis formalem. Id quod addiderim propter illam solennem disputationem inter theologos; An relationes formaliter includãtur in essentia. Quidam enim negant contineri formaliter relationes in essentia. Alij vero partem affirmatiuam sequuntur. Quibus equidem libenter assentio propter simplicitatem diuinæ essentiæ, quæ cum relationibus personalibus nullam compositionem, ne metaphysicam quidem, admittit. Verum est tamen, quòd si cõtineri formaliter, intelligatur secũdũ nostrũ modũ concipiendi, non continentur relationes aut proprietates personarũ in essentia. Et si isto modo intelligerẽt sequẽtes partẽ negatiuã, certa est sentẽtia. Hoc enim est quod nos diximus, nomẽ essentiale in abstracto nõ significare relationes nec personas. Sed quia ipsa essentia vel Deitas secundum se & intrinsece in sua diffinitione, (si diffinitio potest dici rei infinitè perfectæ) includit omnia quæ est, magis formaliter quã homo includit naturã animalis cũ rationalitate, idcirco negari nõ potest, hãc propositionẽ; Deitas est Pater, ſe formalẽ ex parte rei significatæ, sicut hæc; Deitas est Trinitas personarũ. Nihilominus in hac propositione Pater est filius, sit sensus magis formalis nõ solũ secũdũ modũ significãdi terminorũ sed etiã ex parte rerũ significatarũ quæ sunt formaliter oppositæ relationes realiter distinctæ. Ac proptere a illa propositio est falsa & hæretica. Neq; enim est sensus ius, Pater est res quæ est filius, nã hæc propositio vera est, siquidem pater est vna res, scilicet, vna deitas, quæ est filius. Merito itaq; diximus in illa cõsequẽtia fieri argumentũ ab idẽtica ad formalẽ vel à minus formali secũdũ modũ significationis & nostrũ modũ cõcipiẽdi, ad locutionẽ magis formalẽ etiã ex parte rerũ significatarũ, & hoc est mutari quid in ad aliquid.

Ad secundum argumentum nego consequẽtiam propter defectũ extrinsecũ, quia mutatur appellatio. Nã minor præmissa, est affirmatiua vera, quia extrema verificãtur ad inuicẽ ratione idẽtitatis rei significatæ. At vero in cõclusione, Essentia diuina generat, quia verbũ, generare, est adiectiuũ & applicat actionẽ generandi ad suppositũ significatũ nomine.

ne.

Essentia pro quo supponit (loquor de supposito termini essentia, pro quo supponit, nō autē de supposito in quo existit, illud enim est persona pro qua Deitas nō supponit,) cū igitur dicimus, Deitas generat, prędicatū applicat suū formale ad suppositū significatū per suū substantiuū: quod est Deitas, cui nō cōpetit generare vt quod generat, alias quod generatione pręcedit esset realiter distinctum ab essentia generante. Vnde defectus est variatio appellationis ex parte verbi adiectiui, quod in maiori applicat suum formale significatum ad suppositum Patris, quod est ipsa persona generans significata per substantiuum, Pater, per quod non significatur essentia, quanuis de illa verificetur in minori. At vero in conclusione minor extremitas accipitur vt suppositum quod generat & consurgit falsa propositio. Non solum quia essentia significatur in abstracto & actiones dicuntur esse suppositorum: nam si hæc ratio sola sufficeret etiam hæc esset falsa. Deitas creauit mundum, quæ vera est & catholica. Sed potissima ratio est & vnica, quia id quod procedit ab aliquo per generationem debet esse simile in natura & distinctum in persona. At vero Filius in diuinis proprie procedit à Patre per generationem similis quidem in natura sed realiter distinctus in persona. Non igitur potest dici filius genitus ab essentia, à qua realitér non distinguitur. In actionibus vero diuinis ad extra, constat ea quæ procedunt realiter distingui à Deitate, neque opus esse vt habeant similitudinem specificam in natura, cum non sit processio naturalis & vniuoca cum processionibus ad intra, vnde respectu actionum ad extra quidquid Deo vel personis cōuenit, prædicatur etiam de ipsa Deitate: neque est aliqua differentia inter quod est & quo est.

Ad tertiū argumētū aliqui solēt respondere medium, hic Deus, nō esse terminū singularē eo quod cōmunis est tribus personis. Verūtamē hæc cōmunitas nō destruit rationē termini singularis, cui per accidēs est vt res illa singularis quę significatur, sit realiter cōmunis tribus personis. Hæc enim cōmunitas nō est ex modo significādi termini, sed ex infinita pfectione rei singularis significatę: quę eadē omnino est tres res & vna singularissima res. Pater enim & Filius & Spiri-

tus sanctus non solum quilibet corum est hic Deus, sed idē omnino hic Deus, cuius Deitas vnica singularissima est. Quam obrem existimo ad rationem syllogizandi sufficientissime; hic Deus esse terminum singularem & ex illis præmissis male infertur, ergo genitus est generans: quia mutatur quid in ad aliquid, vt si diceres, hic motus est actio, hic motus est passio, ergo actio est passio. Sed contra si, hic Deus, est terminus singularis sufficiens ad expositorie syllogizandum, erit etiam sufficiens ad oppositionem contradictoriam: verbi gratia hic Deus generat, hic Deus non generat, erunt contradictoriæ. Consequens est falsum: nam vtraque videtur vera. Affirmatiua quidem, nam hic Deus supponit pro Patre ac proinde, si Pater generat & Pater est hic Deus ergo hic Deus generat, similiter probatur negatiua vera. Nam, hic Deus, etiam supponit pro filio propter modum significandi in concreto, ergo si filius non generat & filius est hic Deus ergo hic Deus non generat, vbi non videtur aliquis defectus committi ex prædictis. Huic argumento respondeo. Concedo sequelam sed nego veram esse negatiuam. Nam ille terminus, hic Deus, quanuis supponat pro filio ad enuntiandum de illo quamlibet actionem vel passionem tamen non limitatur ad supponendum tantùm pro filio quando de illo negàtur aliqua actio vel passio, quæ conuenit huic Deo ratione alicuius suppositi ac proinde idem est dicere hic Deus non generat, ac si diceres, nullum suppositum pro quo supponit, hic Deus, generat, supponit autem pro Patre ergo si hic Deus non generat, Pater non generat. Et hoc fortassis est quod ex doctrina D. Thomæ aliqui affirmant quod quando prædicatum est notionale trahitur subiectum ad standum pro illa persona cui competit illa notio. Sed profectò arbitror hanc doctrinam verificari non ex modo significandi terminorum, maxime si dicamus Deus generat, Deus non generat, quæ etiam sunt cōtradictoriæ ex parte rei significatæ, qui est vnicus singularissimus Deus. Sed prouenire ex hoc ipso quod hic Deus ex modo significandi in concreto habet supponere pro omni habente hanc Deitatem. Vnde in propositionibus affirmatiuis vbi prædicatū est aliquod notionale, sufficit si prædicatum verificetur de

vno

vno habente illam Deitatem. At vero in propositione negatiua requiritur ad veritatem eius quod prædicatũ remoueatur ab omni habente hanc Deitatem: quia omnis habens hãc Deitatem est hic Deus singularissimus. Et hac via melius videtur satisfieri sophisticis argumentationibus gentiliũ aut hæreticorum, si non fingamus aliam dialecticam in locutionibus diuinis. Sed supposito nostro mysterio, si ab hoc Deo singulari aliquid remoueatur, necesse est remoueri ab omni habente hanc Deitatem. Et quia sunt tres personæ subsistentes in hac Deitate, necesse est si ab hoc Deo remoueretur generare remoueatur etiam à quauis persona. Nõ tamen necesse est, si hic Deus generat vt omne habens hanc Deitatẽ generet: sed sufficit quod aliquis habens hanc Deitatem generet. Quam obrem omnes hæ propositiones veræ sunt. Hic Deus generat, hic Deus generatur, hic Deus spirat hic Deus spiratur, semper ostendentes eundem Deum, non tamen verificantes propositiones pro eodem supposito physico & incommunicabili.

Ad quartũ argumẽtũ respõdetur ex præcedenti doctrina negando omnes illas consequẽtias esse syllogismos. Et prima quidem defectum habet intrinsecum quia medium in affirmatiua minus formaliter tenetur quam in negatiua, qui est defectus intrinsecus: sicut in hac consequentia; Hæc actio non est passio & hæc actio est motus ergo motus non est passio. Nam in maiori præmissa negatiua subiectum & prædicatum distinctas relationes important, & in diuinis oppositas: ac propterea verificatur negatiua, filius non generat, & in minori non est illa formalitas oppositarum relationum, scilicet, filius est Deus. Deinde etiam est defectus extrinsecus cum infertur ergo Deus non generat. Quia virtualiter est quasi argumentari à non distributo ad distributum ex parte minoris extremitatis. Quia cum in diuinis non sit nisi vnicus singularissimus Deus, si ille non generat, nullus Deus generat, ac proinde nullus habens Deitatem generat. Sed vice versa in affirmatiuis, quidquid competit vni supposito incommunicabili, necesse est vt competat huic Deo, quia Deus supponit pro habẽte Deitatem. Idem defectus committitur in secunda consequentia &

in tertia. In quarta vero euidenter committitur defectus extrinsecus, quia mutatur quid in ad aliquid siue à minus formali ad magis formalem locutionem, vt iam explicatum est.

Hæc sunt quæ in præsenti tractatu pro theologis aduertenda censui, reliqua vero maioris momenti in nostris commentarijs super primam partem quos ante annos duodeuiginti prelo mandaui, & iterum fusius in scholis Salmanticensium Theologorum ante annos quatuordecim viua voce dictaui, plenius habentur.

LAVS DEO.



Las armas que mas contrarias
en el Orbe an sido opuestas,
son las que ves aqui puestas,
de quien dizen cosas varias.

.23. dizembre. Año. 1620.

Gloria patri melodis personemus v[...]bus: gloriam Christo canamus gloriam paraclito: q[...]trinus & vnus Deus extat ante secula. Amē. ℣. Stetit Angelus iuxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua. Ad Magnifi. Aña. Dum sacrũ mysteriũ cerneret Ioannes: Archãgelus Michael tuba cecinit: dign⁹ es Dñe Deus noster accipere librũ, & soluere signacula eius, alleluia. Oratio.



Deus q̃ miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur; ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum Iesum.

Ad Matutin. Inuitat. Regem Angelorũ Dominum, Venite adoremus. Hymn. Tibi Christe. In j. Noct. aña. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulũ aureum in manu sua. Psal. Verba mea.

salus, & honor, & virtus, Oĩpotenti De[...] ℣. Millia milliũ ministrabãt ei: & decies cẽtena millia assistebãt ei. Oĩpotẽti. L. ij.

Hæc dicit Dñs Deus. Tu signaculũ similitudinis, plenus sapiẽtia, perfectus decore: in delicijs paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuũ: Sardius Topazius & Iaspis, Crysolitus & Onyx & Berillus: Saphyrus & Carbũculus & Smaragdus. Aurum opus decoris tui: & foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. Tu Cherub extẽtus & protegens: & posui te in mõte sancto Dei, In medio lapidum ignitorũ ambulasti: perfectus in vijs tuis a die conditionis tuæ. ℟. Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua: & data sunt ei incensa multa. Et ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Dñi. ℣. Factũ est silentium in cœlo & accep[...] Angelus thuribulũ, & impleuit illud de igne altaris. Eze. 28.

præstat beneficia populorum. Et oratio perducit ad regna cęlorum. ℣. Archangele Christi per gratiam quam meruisti te deprecamur, vt eripias nos a laqueo mortis. Cuius. Gloria. Et oratio. In secundo Noctur. antiph. Michael præpositus paradisi, quem honorificant Angelorũ ciues. Psal. Domine quis habit. 3. Antiphona. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini: propterea decorem induit te Dominus. Psal. Exaltabo te Domine. 7. Antiph. Angelus, Archangelus, Michael Dei nuncius, de animabus iustis suscipiendis. Psal. Omnes gentes. 11. ℣. Ascendit fumus aromatũ in conspectu Dñi. ℟. De manu Angeli. Beatus Gregorius in homilia de decẽ Drachmis. L.iiij.

NOuem esse Angelorum ordines testante sacro eloquio scimus; videlicet Angelos, Archanglos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, Cherubin, atq; Serahin. Esse nanq;

[...]is quoq; dum Angeli, Archangeli, Cherubin, atq; Seraphin adiuncti sunt: proculdubio nouem esse Angelorum ordines inueniuntur. Vnde & ipsi Angelo, qui primus est conditus, per Ezechielem prophetam dicitur. Tu cherub signaculum similitudinis: plenus sapientia, & perfectus decore. Et subditur.. Omnis lapis preciosus operimentum tuum: sardius, topazius, iaspis, Chrisolitus, Onix, & Berillus, Saphirus, Carbunculus, & Smaragdus. Ecce nouem dixit nomina lapidum: quia profecto nouem sunt ordines Angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus Angelus ideo ornatus & opertus extitit; quia dum cunctis Angelorũ agminibus prælatus est: ex eorum comparatione clarior fuit. ℟. Archangeli Michaelis intercessione suffulti te Domine deprecamur. Vt quos honore prosequimur, contingamus & mente. ℣. Perpetuum nobis Domine tuæ miserationis præsta subsi-

cæleloquij paginæ testatur. Cherubin vero atq; Seraphin: sæpe notum est libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat dicens. Super oēm principatum, & potestatē, & virtutē, & dominationē. Qui rursus ad Colossenses scribens ait. Siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Dū ergo illis quatuorque ad Ephesios dixit, idest principatibus, potestatibus, virtutibus, atque dominationibus, coniunguntur throni; quinq; sunt ordines qui specialiter exprimuntur. ℟. Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum: cui tradidit Deus animas sanctorum, vt perducat eas in paradisum exultationis. ℣. Data est potestas Archangelo Michaeli super animas sanctorum. Vt. Lectio secunda.

fragia non deesse. Vt. Lectio sexta.

Sciendum quoq; quod Angelorum vocabulū, nomen est officij, non naturæ. Nam sancti cœlestis patriæ spiritus semper quidē sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquā possunt: qui tunc solum sunt spiritus Angeli, cum per eos aliqua nuntiātur. Hi autem qui minima nunciāt Angeli: qui vero summa annunciant, Archangeli vocantur. Cum aūt ad nos aliquid ministraturi veniunt: apud nos etiā nomina ex ministerijs trahunt. Michael namq; quis vt Deus dicitur. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nunciare veniebat: qui ad debellandas aereas potestates apparere dignatus est. Raphael quoq; interpretatur medicina Dei: quia

dum